RHETORICARUM INSTITUTIONUM

PARS PRIMA

EX TULLII PRÆCEPTIS

EXEMPLISQUE COMPARATA

Et primis eorum Studiis accommodata

QUI

HUMANIORIBUS LITTERIS

Dant operam

IN COLLEGIO SEMINARIO BONONIENSI.









BONONIÆ MDCCLXVI.

Typis Lælii a Vulpe Inst. Scient. Typographi.
Superiorum facultate.

OPERIS DISTRIBUTIO.

LIBER I.



DE ELOCUTIONE.

LIBER II.

DE FIGURIS



De Figuris Verborum.

Cap.

LIBER III.

DE AMPLIFICATIONE PER LOCOS RHETORICOS.

Cap.

LIBER IV.

DE AMPLIFICATIONIS USU.

APPENDIX.

DE EPISTOLIS. 195

VI.



DE

DE ELOCUTIONE

LIBER I.





De puri, dilucidique sermonis ratione.

CAP. I.

OMnis dicendi laus in eo sita esse videtur, ut pure, ut dilucide, ut ornate, ut ad id quodcunque agetur, apte, congruenterque dicamus. Prima igitur habenda ratio est puri, dilucidique sermonis. Ita enim nexa hæc sunt inter se, ut unum adhibeatur alterius gratia: ac pure loquamur ob eam caussam, ut plane intelligatur, quod dicimus.

Ut autem pure, quod est Latine, loquamur, non solum videndum est, ut & verba efferamus ea, quæ nemo jure reprehendat; & ea sic & casibus, & temporibus, & genere, & numero conservemus, ut ne quid perturbatum, ac discrepans, aut præposterum sit; verum etiam genuinus ille perquirendus est candor, qui maxime in propriis elucescit dicendi modis; unde naturalis quædam venustas, & elegantia loquendi emanat.

Sed omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia litterarum; tamen augetur legendis optimis oratoribus, & poetis.

Jam ex hac ipsa, quam declaravimus, ratione puri, elegantisque sermonis illud consequitur, ut

ut plane, ut dilucide loquamur. Quibus enim rebus purum, & elegantem efficimus ſermonem, iiſdem aſſequimur, ut ea, quæ dicimus, intelligantur. Latine enim dicendo, verbis uſitatis, ac proprie demonſtrantibus ea, quæ ſignificari, & explicari volumus, ſine ambiguo verbo, aut ſermone; non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quæ ſimilitudinis cauſſa ex aliis rebus transferuntur, non diſcerptis ſententiis, non præpoſteris temporibus, non confuſis perſonis, non perturbato ordine; non poterimus non plane, non dilucide loqui.

Pleraque ex lib. III. *de Orat.*

De Verborum ornatu: ac primum de verbis propriis, & quæ ſint vitia in iis fugienda.

CAP. II.

SOlum quidem, & quaſi fundamentum oratoris vides locutionem emendatam, & Latinam. unde Cæſar in libris, quos de ratione Latine loquendi ſcripſit ad Ciceronem, verborum delectum originem eſſe eloquentiæ dixit. Omnis enim oratio conficitur ex verbis, quorum primum nobis ratio ſimpliciter videnda eſt, deinde conjuncte. Nam eſt quidam ornatus orationis, qui ex ſingulis verbis eſt, alius, qui ex continuatis, conjunctiſque conſtat. Ergo utemur verbis, aut iis, quæ propria ſunt, & certa quaſi vocabula rerum, pene una nata cum rebus ipſis: aut iis, quæ transferuntur, & quaſi alieno in loco collocantur.

In

In propriis est igitur verbis illa laus oratoris, ut abjecta, atque obsoleta fugiat, lectis, atque illustribus utatur, in quibus plenum quiddam, & sonans inesse videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus est quidam habendus, atque is aurium quodam judicio ponderandus; in quo exercitatio plurimum valet, & lectio optimorum auctorum. Quæ sint verba in oratione fugienda, iis fere duobus carminibus comprehenduntur:

,, Sordida, prisca, nova, antiquata, poetica, dura,
,, Turpia, rara nimis, vel peregrina cave.

Ex his pauca notabimus, quæ videntur insigniora.

Sordida quidem, ac *turpia* verba sunt penitus ex honesti viri sermone eliminanda. Sed hac de re rursum erit agendum.

Nimis prisca, seu penitus obsoleta non sunt in usum revocanda. Neque solum ea, quæ jam putida videbantur vel ipsi Ennio, Frequentata

,, Versibù, quos olim Fauni, Vatesque canebant:

Sed ne plura quidem, quæ passim in Ennio, Pacuvio, Lucilio, ac sæpe etiam in Plauto leguntur, sunt nobis temere usurpanda, quæ (1)

,, Nunc situs informis premit, & deserta vetustas.

Nemo enim *Burrum* dicet, aut *Bruges*, quod ita Ennius sit locutus; sed *Pyrrum*, & *Phryges*, quod postea consuetudo probavit. Imo numquam *Senati* dixerim, numquam *sanguem*, licet habeam illius vocis, præter vetustiores, Salustium auctorem, istius Lucretium. Neque probarem: *Nimis me indulgeo*; quod ita inveniam apud nitidissimum scriptorem Terentium: aut *Ipsus placebit*; quod eo sæpe idem utatur. Ac ne sim

(1) *Horat. E.* II. *l.* II. *Orat. cap.* XLVI.

ſim infinitus; quæ in Cicerone ab ſe dicta invenitis, quæ in Cæſare, quæ in Nepote, aliiſve, qui vobis ad imitandum ſunt propoſiti; hæc aurea, hæc ſatis antiqua putatote.

De novis erit poſtea dicendum. De duris, quæ ſcilicet aſperioribus conſonantibus ſunt contexa, non tam per ſe ac penitus abigendis, quam in compoſitione ſententiarum, quum opus eſt, cavendis, neminem puto eſſe adeo agreſtem, qui nequeat ſenſu ſuo judicare: quæque hic poſſent præcipi, commodiorem locum deſiderant.

Nimium rara, quæ ab uſitata diſcedunt optimorum auctorum conſuetudine, magno ſunt opere fugienda. Quare monent, inſolens verbum in oratione, non aliter, quam ſcopulum in mari eſſe. Non itaque, quod ſemel, aut iterum legas vel apud ipſum Ciceronem quidpiam uſurpatum contra, quam ceteri, & ipſe etiam ſoleat, ipſe ſtatim arripies. Neque dubitaverim, quum neceſſe eſt in noſtrum ſermonem traducere propria quædam nomina peregrina, eadem inflectere, ſeu declinare Latinorum more; quod licet obſervare in Cæſaris Commentariis, & apud Ciceronem frequentiſſime: ſi excipias nomina Græcorum propria, ut Socrates, Pythagoras, & hujuſmodi; quæ tamen & ipſa in ceteris caſibus more Latinorum apud Latinos fere deſinunt.

A poeticis non tam abhorrebit, quam temperabit orator. nam hinc ſæpe lumen accedit orationi. Quæ tamen licentius ab iſtis uſurpantur, vel numeri gratia, vel ex propria fingendi, & audendi facultate, numquam ſibi adſciſcet.

Abjecta verba, quæ ſunt oratori fugienda, ea fuiſſe credo, quæ ſumpta dicebantur ex trivio, quæq.

quæq. vulgaris effecerat, ac retinebat fordidioris populi confuetudo: quod etiam modo florentibus linguis ufuvenire perfpicimus. At in Latina, qui nos poffumus hæc modo verba internofcere? Aliqua forte hujus abjecti fermonis veftigia deprehendi poterunt apud Comicos, quod verba perfonis fæpe vilioribus aptare deberent: cujufmodi forte extiterit illud *ipfiffimum* Plauti, & fimilia. Illud eft certum, plura in uno genere dicendi effe venufta, & elegantia, quæ nimium effent abjecta in alio. Sic in Epiftolis *Quod in buccam venit fcribito*: Venuftum erit, & urbanum; fi in orationem traducas, vilefcet.

In Bruto cap. LXXII. LXXIV. *Ex lib.* III. *de Orat. cap.* XXVII.

De Verborum delectu habendo.

CAP. III.

VErborum quæ fint vitia fugienda, faltem præcipua, indicavimus: nunc, quæ fint eligendæ, virtutes videbimus. Legenda igitur funt, uti jam fupra memoratum eft, illuftria verba, quæ fplendorem afferrant orationi, & quæ fint nata, hoc eft, omnium aptiffima, ad res cum decoro fignificandas: in quo fane non tam aurium, quam ingenii eft judicium adhibendum. Verum, uti in ceteris, in hoc etiam ingenium acuet exercitatio; & attenta præftantium auctorum lectio bonorum verborum ufum, & copiam fuppeditabit.

Sunt ea pariter verba depromenda, in quibus plenum quiddam, & ſonans ineſſe videatur. Dum id conaris, cave extrema; cave ne dum exilia nimis, ac tenuvia fugis, in contraria incurras, in vaſta ſcilicet, immania, & ſeſquipedalia. Neque vero, ut poetæ ſolent, deliges exquiſita ad ſonum, ſed ſumpta de medio. Ad ſonum certe, quod attinet, aures ſunt judices, quarum voluptati, ſicuti morigeranda eſt oratio, ita ſunt voces deligendæ, quibus illa conficitur.

Jam vero in verbis junctis quam ſcite *inſipientem*, non *inſapientem*; *iniquum*, non *inæquum*; *tricipitem*, non *tricapitem*; *conciſum*, non *concæſum* volunt? Sed non aliter, quam optima, & inveterata conſuetudo jam probaverit, nobis licet hæc Latina uſurpare. Illud ex ſoni ratione liberum nobis relinquitur, ut noſſe, & judicaſſe, vel noviſſe, & judicaviſſe; noſtis, noviſtis; júdicarunt, vel judicaverunt, & ſic in aliis dicamus. Qua de re illud minime præteribo, quod in Topicis Cicero confirmat exemplo ſuo. Ubi formas potius, quam ſpecies appellat, quas Græci *Ideas* nominant; idque ne quidquam durioris in precipiendo admittere cogatur. Nolim enim (inquit) ne ſi Latine quidem dici poſſit, ſpecierum, & ſpeciebus dicere: & ſæpe his caſibus utendum eſt; at formis, & formarum velim. Quum autem utroque verbo idem ſignificetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam.

Soni videntur ea pleniores, quæ a grammaticis *Verbalia* dicuntur: *Animi dominatrix cupiditas*; *Moderatrix omnium rerum ſapientia*: *Philoſophia vitæ dux*, *virtutis indagatrix*, *expultrixque vitiorum*. *Voluptas imitatrix boni*. *Cuſtoſne*

ur-

urbis, an direptor, & vexator Antonius? Atque hæc Ciceroni usitatissima. Juvant etiam identidem ad vim simul, & graviorem quemdam sonum composita, ut *consceleratus*, *contrucidare*, *immanis*, *perhorrescere*, & ejusmodi pro semplicibus *sceleratus*, *trucidare*, *magnus*, *horrescere*. Sed eritne perpetuum hoc studium? Neque ratio id feret linguæ Latinæ: unde etiam sæpe ex similitudine barbaræ creantur voces: neque ubicunque feret Latina consuetudo, probabitur, si sæpius fiat, quam oporteat, aut res ipsa desideret.

Illa sunt ad gravitatem quamdam, & majestatem orationis quærenda, quæ præstant significatione, dummodo res ipsa ferat; sic sunt graviora latro, quam prædo; raptor, quam fur; carnifex, quam sicarius; flagitiosus, quam improbus; truculentus, profligatus, perditus, quam crudelis, sceleftus, malus: plus vulnerare significat, quam percutere; exterminare, quam ejicere. Sed hæc satis, & supra.

Hoc moneo postremum, in delectu scilicet verborum magnam adhibendam esse diligentiam, sed quæ nimium præ se non ferat artificium, & studium, quod semper cadit in ostentationis quoddam genus, atque ideo levitatis.

III. *de Orat. cap.* XXXVII. *In Orat. c.* XLV. VI. VII. VIII. IX. *& lib.* III. *de Orat. c.* XXVI.

De tribus modis illustrandi Verbi simplicis.

CAP. IV.

AD illustrandam, & ornandam orationem tribus modis verbum simplex afferre potest ora-

orator, vel inusitatum, vel novatum, vel translatum. Prima duo genera, quæ vix ullam nobis sui facultatem reliquerunt, expediemus hoc capite. De translatis agemus postea, ut res postulat, uberius.

Inusitata sunt fere prisca, quæ jam a Tullii ætate obsolverant. Hæc Poetarum licentiæ liberiora semper fuerunt, quam oratorum consuetudini. Rarius tamen habet etiam in oratione Poeticum aliquod verbum dignitatem. Neque sane fugerit orator dicere *tempestatem* pro tempore: *Qua tempestate Pœnus in Italiam venit*, ut Cœlius apud Ciceronem. *Prolem* etiam, & *sobolem* invenietis: *Proles illa futurorum hominum. Propaganda soboles*. Ita illud *effari* in Orat. pro Domo sua, sed positum eo loco, ubi Religionem spirat. *Neque verbum ullum solemne potuit effari*. *Reor* sæpe invenies; ut *Tum vero est ratus se posse*... & *Quem quidem antea natura rebar ita dicere*. Sic hujus generis alia, quibus loco positis grandior, aut antiquior oratio sæpe videri solet. Leges præsertim, licet hoc tempore scribantur, quo plus auctoritatis habeant, peculiare desiderant dicendi genus, paullo scilicet antiquius. Verum de his, ubi de inscriptionibus.

Novantur verba, quæ ab eo ipso, qui dicit, gignuntur; ac fiunt, duplici ratione: primum conjungendis Verbis, ut hæc armipotens, ignipotens, auricomus, & plurima. Sed nemo non videt hæc esse poetica. Accedit, neque Poetis post Latinæ linguæ interitum liberam facultatem concedi hujusmodi verba componendi, aliaque præter jam recepta pro libito conformandi.

Vix illud nobis reliquum esse videtur, ut quæ ve-

veteres sæpe propriis adjungebant nominibus, ut *Pseudo*, & *semi* (unde *Pseudocatonem*, *Pseudophilippum*, *Semiplacentinam*, habet Cicero) nos etiam, caute tamen, & vel joci, vel festivioris caussa reprehensionis, cuiquam nomini præponamus.

Etiam sine conjunctione vocis novantur verba, ut „ Baccarum ubertate incurvescere... Verbum enim incurvesco ex incurvo factum est. Ita etiam Cicero primus forte induxit, & fabricatus ea est verba: *Perspicuitatem*, *evidentiam*, *qualitates*. Verum eis vix utitur in Philosophicis, ubi nova nomina necesse ipsi fuit novis rebus imponere. In orationibus nihil usurpat hujusmodi, nisi forte alienum exprobrandi caussa.

III. *de Orat. cap.* XXXVIII. *In Orat. c.* XXIV.

De Verbis Translatis, sive de Metaphora.

CAP. V.

ILlustrant orationem tamquam stellæ verba translata, de quibus nunc agimus: lumen etiam, & ornatum afferunt orationi verborum immutationes, quas Græci *Tropos* dixere, de quibus postea erit sermo. A Translatis, tamquam præcipuis, ad quæ etiam immutata solent referri, incipiamus. Translationem dicimus, quam Græci *Metaphoram*.

Metaphora, sive Translatio *est similitudinis ad verbum unum contracta brevitas*. Fit igitur Translatio, quum verbum in aliquam rem transfertur ex alia re, quod propter similitudinem recte videtur posse transferri. Quare debet ex re simili

ſemper verbum uſurpari, quod transfertur, ad aliam illuſtrius exprimendam. Ponamus exemplum: Verno tempori ſimilis eſt adoleſcentia: licebit itaque ex veris jucunditate, & pompa plura transferre ad illam ætatem: ſic ſæpe audimus Adoleſcentiæ florem, & viridem, florentemque juventutem. Dum enim dicis Adoleſcentiæ florem, non ne intelligis, adoleſcentiam ſimilem eſſe flori? Nec alia ratione, dum viridem florentemque appellamus juventutem, verno illam tempori comparamus, quod vireſcit, ac floret. In hoc autem emicat Translationum virtus, quod quum ad ſenſus ipſos res admoveant, & maxime oculorum, qui eſt ſenſus acerrimus, ponunt pene in conſpectu animi, quæ cernere, & videre non poſſumus.

Modus autem verbi transferendi late patet: quem primum neceſſitas genuit, verborum inopia propriorum; poſt autem delectatio, jucunditaſque celebravit. Nam *gemmare vites*, *ſitire agros*, *luxuriem eſſe in herbis*, *lætas ſegetes* ruſtici etiam dicunt. Quod enim declarari verbo proprio vix poteſt, id translato quum eſt dictum, illuſtratur ſimilitudine ejus rei, quam alieno verbo poſuimus.

Sed quum in verborum etiam maxima copia, multo ſæpe aliena delectent magis, ſi ſint ratione translata, quam propria; hinc illæ paullo audaciores translationes inventæ ſunt, quæ non inopiam indicant, ſed orationi ſplendoris aliquid accreſcunt. Dividunt aliqui translationes, ſive metaphoras omnes in quatuor genera. Nam quum res omnes in animatas, & inanimes dividi putent; hinc pariter conſtituunt poſſe verbum ali-

quod

quod transferri vel ab animato ad animatum; vel ab inanimi ad inanime; vel ab alterutro ad alterutrum genus contrarium. Verum utcunque sit hæc divisio adæquata; nihil plane ad artem censeo pertinere, ad quod sit genus translatio referenda investigare; plurimum autem conferre existimo, quæ sint probandæ, quæque fugiendæ translationes, recognoscere; quod ipsum ex Tullio liquet uberrime.

III. *de Orat. cap.* XXXVIII. IX. X. *In Orat.* *c.* XXIV. *&* XXVII.

Quæ sint Translationes eligendæ.

CAP. VI.

EA vel in primis transferri oportet, quæ rem faciunt clariorem; ut sunt illa pro Sextio? *Statim me perculso ad meum sanguinem hauriendum, & spirante etiam rep., ad ejus spolia detrahenda advolarunt.*

Tum etiam trãslata laudantur, quum iis significatur magis res tota, sive facti alicujus, sive consilii. De L. Sulla pro Sex. Roscio. *Quum præsertim tam multi occupationem ejus observent, tempusque aucupentur, ut simul atque ille despexerit, aliquid hujusmodi moliantur.* Perpende illud pro Milone. *Quanto ille* (Clodius) *plura miscebat; tanto hic* (Milo) *magis in dies convalescebat.*

Nonnunquam etiam brevitas translatione conficitur; ut illud: ***Si telum manu fugit.*** Impruden-

dentia teli emissi brevius propriis verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato. Et in Pisonem: *O Dii immortales! Tunc etiam, atque adeo vos geminæ voragines, scopulique reip., vos meam fortunam deprimitis, vestram extollitis?*

Ceterum jam plura sunt per translationem in usu prope quotidiani sermonis elegantissima, quæ quum ita sint rebus accommodata, ut eisdem lumen afferant, & venustatem, ne cogitantes quidem de translatione, passim adhibeamus. Siquidem & flagrare iracundia, & odio ardere, & præcipites agi furore, & iram defervescere, & amorem restingui, & incendi, & inflammari cupiditates, & labes animorum, & virtutis splendorem, & innumera sic dicere consuevimus, ut ea propriis exprimere vocabulis, vix multo studio, & labore possemus. His uti licet frequentissime; conquisitis diligentius, non tam crebro, sed moderate, ac temperanter, quum res ipsa postulat.

Quæ sunt in hoc capite, & sequentibus de Translatis, & Tropis desumpta, invenies
Lib. III. *de Orat. cap.* XXXVIII. IX. X. XI. XII. XIII. *& ex Orat. c.* XXIV. XXVII.

Quæ sunt vitia in Translatis fugienda.

CAP. VII.

Fugenda primum est dissimilitudo, seu cavendum, ne illud, unde verbum transferas, parum

rum fit ei fimile, quod vis translato verbo declarare. Quam illa effent diffona: metu exardefcere, fontem reftingui, inertia inflammari, & hujufmodi, nemo non videt.

Cavendum eft etiam ne longius, quam par eft, fimile fit ductum. *Syrtim patrimonii* vix ferrem, *fcopulum* libentius dixerim. Mallem *Voraginem bonorum*, quam *Charybdim*. Facilius enim ad ea, quæ vifa, quam ad illa, quæ audita funt, mentis oculi feruntur. Hinc etiam minus probantur tranflata; quum ad illud ut perveniamus, quod intelligimus, neceffe eft ex verbo tranflato ad aliud gradum facere. Sic *flumen ingenii* probant omnes. Dic Nilum, dic ingenii Padum, nemo non ridebit. Quid verò? Nonne Nilus, Padufque funt flumina? nemo inficiatur: fed hoc ipfo, quod neceffe eft in tranflato ratiocinari, refpuitur. Verum hæc ipfa, quum fatis manifefta funt, & paullo latius funduntur, ac ipfa fimilitudo aliqua ratione explicatur, tum per ea fic duci jucundum eft. Vide quam pulchre Cicero in Clodium, quod improbat, utatur tranflato; & alterum etiam nectat de Scylla in oratione de Harufpicum refponfis. *Quam denique tam immanem Charybdim poetæ fingendo exprimere potuerunt, quæ tantos exhaurire gurgites poffet, quantas iste ... prædas exforbuit? aut tam eminentibus canibus Scyllam, tamque jejunis, quam quibus iftum videtis Gelliis, Clodiis, Titiis roftra ipfa mandentem?*

Omnis pariter vitanda eft illarum rerum turpitudo, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahat fimilitudo. Quum enim hæc fumma laus fit verbi transferendi, ut fenfum feriat, cavendum fum-

mopere, ne quidpiam fœdi sensibus obiiciat. Nolo stercus Curiæ dici improbum senatorem, ac nequissimum. Paullo itaque verecundius Cicero in Cat. II. de Conjuratis. *O fortunatam remp., si quidem hanc sentinam hujus urbis ejecerit.* Et Gabinium pro Sextio vituperat: *Qua tum superbia cœnum illud, ac labes amplissimi ordinis preces, & clarissimorum civium lacrumas repudiavit? Me ipsum ut contempsit belluo patriæ?*

Nec ea solum, quæ aliquid turpæ præ se ferunt, sunt repudianda translata, verum etiam quæ sunt indecora, ac nimium abjecta. Ita quis non rideat cum Horatio illius versum poetæ:

,, Jupiter hibernas cana nive *consputet* alpes.

Non debet esse translatum majus, quam res postulet; uti si quis diceret. *Tempestatem comissationis*: aut minus, uti *commissatio tempestatis*. Nolo esse verbum, quod transfertur, angustius proprio. Notat hoc vitium Tullius in Acciano carmine.

,, Quidnam est obsecro? Quid te adiri abnutas?

Non satis putat significari postremo hoc verbo, quod esset exprimendum; siquidem melius esset *vetas*, *prohibes*, *absterres*: quoniam antea fuerat vehementius interdictum accedere:

,, Illico istic, ne contagio mea bonis umbra ve obsit.

Si vereare ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est præposito sæpe verbo; ut si olim M. Catone mortuo, *Pupillum* Senatum dicerem: paullo id durius; sin *ut ita dicam pupillum*; aliquanto mitius. Ad lenienda hujusmodi paullo audaciora translata; quibus tamen aliquando ad rei amplificationem indigemus, illa sæpe occurrunt: prope dixerim, si dicere liceat, pene, quasi, &

simi-

similia. III. de Orat. sic de Crassio disceptante Cotta inquit: *Quo quum progressus esses, repente quasi quidam æstus ingenii tui, procul a terra abripuit, atque in altum a conspectu pene omnium abstraxit*. Et pro Plancio: *Quorum honoribus agri, prope dicam, ipsi, montesque faverunt*.

Etenim verecunda debet esse translatio, ut ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum videatur. Errant itaque vehementer, qui in translationum laudibus ponunt, si ducantur a rebus vel minus notis, vel longius petitis, vel rem immodice augentibus. Id enim isti præclarum putant, quod summi auctores fugiunt summopere, nec immerito; quum soleat id orationi vel fucum facere, vel tenebras offundere. Neque dubitamus, quin ex hoc fonte non semel fluxerit eloquentiæ corruptio, & linguarum depravatio.

De translatorum continuatione, sive de Allegoria.

CAP. VIII.

QUum plures fluxerunt continuæ translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Græci appellant *Allegoriam*. Jam igitur habes, quid sit illud, quo de nunc agimus.

Allegoria est oratio ex pluribus constans continuatis translationibus. Ea fit ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit: ut est illud:

„ Erras, erras, nam exultantem te, & præsidentem tibi
„ Repriment validæ legum habenæ, atque imperii insistent juga.

Su-

Sumitur hic acris equi similitudo; atque hinc nomina transferuntur ad hominem explicandum audacem, ac superbum, legum, & imperii severitate cohibendum.

Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo vel in primis obscuritas fugienda est. Etenim ex hoc genere fiunt ea, quæ dicuntur *ænigmata;* a quibus orationem abhorrere, nemo est qui non videat. Ut autem hoc lumen adhibeant orationi allegoriæ, solent quidem oratores plura verba ex cogitata similitudine transferre, & integras aliquando sententias: at simul propria quædam ejus rei, quam volunt exprimere, opportunis locis inserere: nisi quandoque ex arte omnia lubeat transferre; vel quod ex jam dictis res fiat clarior; vel quod deceat ita rem circumvestire, ut eam intelligant, quos velis, ac præterea nemo. Sic Cic. Ep. v. l. XII. *Vellem* (inquit) *Idibus Mart. me ad cœnam invitasses; reliquiarum nihil fuisset; nunc me reliquiæ vestræ exercent: & quidem præter cæteros me.* Ubi cœnæ nomine conjurationem in Cæsarem factam, & cædem ejus intelligit, reliquiarum nomine Antonium significat; quem minime superstitem futurum indicat, si conjurationi, & cædi ipse interfuisset. Plerunque tamen ad rem illustrandam propria quædam adjiciunt oratores. Celebris est illa in Pisonem: *Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus, ac fluctibus reip. navim gubernassem, salvamque in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem. Alios ego vidi ventos, alias prospexi animo procellas, aliis impendentibus tempestatibus non cessi.*

Sæ-

Sæpe etiam tota primum exponitur similitudo, sive res ipsa in similitudinem assumpta; ac tum ex ista transferuntur verba ad id exprimendum aptissima, cujus gratia inducta fuit similitudo. Pro Sextio: *Sed ita est, judices; ut si gladium parvo puero, aut si imbecilli seni, aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat; sin ad nudum vel fortissimi viri corpus accesserit, possit acie ipsa, & ferri viribus vulnerari: ita quum hominibus enervatis, atque exanguibus Consulatus, tamquam gladius, esset datus, qui per se pungere neminem unquam potuissent, hi summi imperii nomine armati remp. contrucidaverunt.* Quum vero hac ratione præmissa similitudo est, translationes, quæ consequuntur, licet paullo fusiores, liberioresque, delectant.

Huc referuntur, quæ in proverbii consuetudinem jam sunt recepta; quæque hac ratione a nobis quandoque expressius, breviusque significantur; ut illa Ciceronis: *Non prohibere aquam profluentem: Pati ab igne ignem capere.* Et illa Terentii in Andria ,, *Facile omnes, quum valemus, recta consilia ægrotis damus.* In Eunucho: *E flamma te petere cibum posse arbitror.* & : *Ovem lupo commisisti.* in Heauton. ,, *Næ ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam?* & hujusmodi plurima.

Cavendum in *allegoriæ* usu monent, ne quum sententiam cœperis ex uno genere translationum in aliud statim deflectas: ut si postquam a tempestate initium sumpsisses, incendio, aut ruina sententiam absolveres, ac diceres: *Remp. seditionis fluctibus deflagrare, aut concidere*; vel contra, *Urbem belli incendio naufragium fecisse:*

quæ insignis esset loquendi perversitas. Sed tum erit hæc perversitas, quum jam cœpta translatio exitum expectat per aliud verbum. Ceterum nihil obstat, quominus res eadem eleganter explicetur verbis aliquot translatis, quorum singula latis per se significent, licet aliunde sumpta: sic Tullius in Cat. I. de conjuratione tamquam de peste loquens: *Quod si se ejecerit, secumque suos eduxerit, & eodem ceteros undique collectos naufragos aggregaverit: extinguetur, ac delebitur non modo hæc tam adulta reip. pestis, verum etiam stirpes, ac semen malorum hominum.*

Illud de *allegoria*, sive continuata translatione sit vobis certum, nihil ea quidem temperanter, ac verecunde adhibita clarius, & splendidius orationi lumen afferre; at nihil simul dicenti plus auctoritatis detrahere, auditoribus vero magis ingratum, & molestum accidere hac ipsa levius, & intemperantius usurpata.

De Tropis, *& primum de* Synecdoche, *&* Metonymia.

CAP. IX.

Tropus est verbi immutatio. Novem (*metaphora*, & *allegoria* seclusis) *tropi* communius enumerantur: *Synecdoche*, *Metonymia*, *Antonomasia*, *Onomatopœja*, *Catachresis*, *Metalepsis*, *Hyperbole*, & *Ironia*.

Synecdoche est tropus, quo aliud ex alio intelligitur; fitque pluribus modis.

1. *Quum totum ponimus pro parte*; ut quum dicimus

cimus *equitatum* populi Romani, & de una tantum turma est sermo; vel *exercitus* ponitur pro una vel altera legione. Licentius poetæ id usurpant aliquando. Sic Virgilius silvam posuit, quum de Myrto loqueretur. Æn. III.

,, Viridemque ab humo convellere sylvam.
Illud frequenter amplificandi caussa sibi vindicant oratores, ut vel universam provinciam, vel urbem, pro insigni ejus parte sumant. Sic in Divin. in Verrem sæpe Siciliam totam pro ingenti ejus parte nominat. Et in Pisonem de suo Consulatu: *Me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella, quam voce priorem consulem declaravit.*

II. *Quum ex parte totum intelligitur:* sic Parietes dicimus pro ædificiis, tecta pro domibus. Atque hæc Oratoribus usitata. Cic. in Cat. III. *In vestra tecta discedite.* In Brut. *Intraque parietes aluit eam gloriam.* Jam illa poetis relinquamus, quæ sunt ipsis familiaria, ut puppis, prora, carina, rostra pro navibus, & hujusmodi.

III. *Quum unus ponitur, & plures intelliguntur.* Usu sunt quædam jam protrita: ut capillus horridus, vel pexus, & compositus, & delibutus pro capillis; hostis pro hostibus, & hujusmodi, quibus eleganter licet uti etiam in oratione.

IV. *Quum plures inducuntur, & de uno tantum est sermo.* Id oratoribus familiare, & quum de se ipsis loquuntur; & quum alios inducunt sive exempli, sive auctoritatis caussa, ut pro Sextio. *Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Abalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Sciρiones, Lentulos, Æmilios, innumerabiles alios.*. Atque hæc Ciceroni frequentissima.

V. Numerum etiam determinatum ſæpe uſurpamus pro indefinito, ut centies, millies pro ſæpe. Cic. I. Off. *Millies oppetere mortem, quam illa pati maluiſſet*. Lib. II. de Divin. *Sexcenta licet ejuſmodi proferre*.

VI. Huc referas, ſi lubet, ſpeciem pro genere, & contra genus pro ſpecie, ut *tigris* pro fera, vel contra *fera* pro tigride. Sic *alitem* pro aquila, *quadrupedem* pro equo invenies. At niſi aliunde conſtet, quid intelligas, quis divinabit?

VII. Tribuunt aliqui huic *tropo*, *quum ſumitur conſequens pro antecedenti: vel antecedens pro conſequenti*. Primum, ut quum *funus* dicimus pro morte, *deſiderari* pro abeſſe, vel mortuum eſſe; ſic *carere* curia, foro, & ſimilibus pro minime intereſſe. Hæc paſſim, & venuſte. Alterum, ut facem admovere, pro incendere: naves ſolvere, vel a terra ſolvere pro diſcedere, & alia, quæ occurrunt in optimis auctoribus.

Hunc alii poſtremum modum ad Metonymiam transferunt. Id ſi lubeat, non repugnabo: quemadmodum ne obſtarem quidem, ſi ex utroque *tropo*, unus fieret.

Metonymia eſt poſitio vocis alicujus pro alia quaſi cognata, & vicina. Quare hac etiam verba mutantur, ſive, non a ſimili, ſed a proximo, & affini transferuntur. Hujus etiam plures ſunt modi.

I. *Ponitur cauſſa pro effectu*, ſub ſequentibus præſertim rationibus: Pro re ipſa ponitur aliquando, qui ei præeſſe dicitur: ut *Mars* pro bello, aut prælio; *Muſæ* pro carminibus, & poeſi; *Pallas*, ſive *Minerva* pro bonis artibus, ſtudiiſque litterarum; *Neptunus* pro mari; *Vulcanus* pro

pro igne. Verum hæc inter scias delectum habere. Plurima enim usurpant poetæ, quæ oratoribus minime conveniunt. Itaque sicuti in oratione minime vitabis ea, quæ jam sunt usu recepta, atque emollita; ut *Martem* belli esse communem; dubio, vel incerto *Marte* pugnare; aliquid facere, explere, recuperare suo *Marte*; pingui esse, vel crassa *Minerva*; aversum quempiam a *Musis*; a *Musarum* cultu abhorrere; atque his similia; quorum habemus præclarissimos auctores, ita suis relinques scriptoribus alios poeticos dicendi modos, quibus alii ad poeticam affectandam elocutionem in oratione utuntur. Inventor etiam dicitur pro re inventa, ut *Ceres* pro frugibus, vel pane; *Bachus*, vel *Liber* pro vino, & viribus; ac hujusmodi: quæ pariter poetis relinque, nisi forte proverbii loco, vel testimonii caussa quidpiam afferas; ut est illud Ciceronis de Natura Deor. II. *Fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum, ex quo illud Terentii. „ Sine Cerere, & Libero friget Venus ...* Auctor etiam sumitur pro suis operibus; ita passim Plato, Aristoteles, Cicero, Livius, Horatius, ceteri pro ipsorum scriptis ... Materies etiam pro re ex ea facta: ut *aurum*, *argentum*, *æs* pro pecunia, *ferrum* pro armis, dixerint etiam oratores: *Linum* pro velo, *pinus* pro navi, & hujusmodi poetarum magis propria.

II *Effectus exprimitur pro caussa*, ut quum dicimus *scelus* pro scelesto. Terentius in Andria: *Ubi illic scelus est, qui me perdidit? Patriæ perniciem* pro cive patriæ pernicioso. Sic Cic. Verrem appellat *labem*, ac *perniciem* provinciæ. Gabinium vero, & Pisonem duo Reip.

 fa-



fata. Ac de Provinciis Conſul. eoſdem vocat *duo reip. portenta, ac pene funera:* Poſt Red. ad Quir. *P. Lentulus . . . , ſalus noſtræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis*. Hæc plurimum illuſtrant orationem. Cavendum tamen, ne ex quadam levitate, & intemperanti licentia in poeticum dicendi genus oratio degeneret.

III. *Locus ponitur pro iis, qui in eo continentur, vel pro iis, quæ fiunt in ipſo: vel quidvis demum rem continet, pro ea re, quæ continetur*. *Curia* dicitur pro Senatu, qui in Curia; *Campus* pro comitiis, quæ in campo Martio haberi ſolebant. Pro Milone, ac ſæpe, *Duodecim tabulas* adducit, quum leges intelligat in iis deſcriptas. Sunt autem illa vere ſplendida? *Teſtes ſunt campi magni*. Et illa apud Ciceronem. *Teſtis Italia, teſtis Hiſpania*, & hujus generis multa. Gravis certe eſt iſte modus in oratione, & ſæpe ſumendus.

IV. *Res quæ continetur, pro ea quæ continet*. Alia hoc in genere liberiora poetarum ſint, ut Ucalegon pro Domo Ucalegontis: tibi in oratione illud vindicabis quod eſt præclariſſimum, ut virtutes, & vitia pro hominibus, in quibus illa ſunt, inducas. Hujuſmodi eſt illud Craſſi, quod refert Cicero: *Nam ubi lubido dominatur innocentiæ leve præſidium eſt*. In Cat. II. poſt alia multa hujus generis. *Hinc denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxurie, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus . . .* Hæc poſtea ita concludit: *In hujuſmodi certamine, ac prœlio, nonne etiamſi hominumſtudia deficiant, Dii ipſi immortales cogent ab his præclariſſimis virtutibus, tot & tanta vitia ſuperari?*

V. Si-

V. *Signa, seu insignia pro re designata sumuntur, ut fasces* pro consulatu, majoribusque magistratibus, & imperiis, toga pro pace, sceptrum, vel purpura pro regno. Cic. pro Domo sua. *Nullus locus in orbe terrarum vacuus extraordinariis fascibus, atque imperio Clodiano fuisset*. III. de Orat. *Vir omnibus belli, ac togæ dotibus eminentissimus*. Instrumenta etiam pro his rebus, quibus inserviunt, accipiuntur. Utrumque hunc modum complexus est Cicero in Pisonem ea versiculi parte: *Cedant arma togæ*. Verum etiam extra numeros poetarum, pulchre dicit idem: Armorum exitus semper incertos; ad arma rem spectare, & similia.

De Antonomasia, Onomatopœja, Catachresi, *&* Metalepsi.

CAP. X.

ANtonomasia *est quadam nominis permutatio, quæ pro nomine cujusquam hominis proprio aliud adsciscit*, vel contra; non temere, sed ratione. Sumitur itaque hæc denominatio:

I. *Ab alicujus in re aliqua præstantia*. Sic Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen effecit apud Græcos suum; ut *Poetam* quum dixerint, Homerum intelligant. Qua ratione & nos *Oratorem* quum dicimus, vel *Romanæ principem eloquentiæ*, Ciceronem intelligimus. Sæpe etiam summorum auctorum nomina ad præstantes in alia lingua scriptores traducimus, sed ferme cum aliquo adjuncto; ut si *Latinum*

num Homerum, vel *Pindarum* dicas ad Virgilium primo designandum, Horatium altero.

II. *Poetis illud fere est relictum, ut a stirpe, sive a generis auctore, clarisve majoribus, sive a patria nomina confingant;* ut quum pro Pyrro *Æaciden* ponunt ab Æaco ejus avo; *Tydiden* pro Diomede Tydei filio; *Itachum* pro Ulisse in Itacha progenitum. Sic a Quirino urbis auctore Quirites dicimus pro Romanis. Idque postremum etiam apud Oratores invaluerat, ac tum maxime, quum populum alloquebantur.

III. *A præclare factis tum poetæ, tum oratores insignes quasdam appellationes progignunt pro nominibus propriis.* Sic *urbis auctorem*, *seu Romæ conditorem* dicimus pro Romulo; *Carthaginis eversorem* pro Scipione; qui etiam *Africanus* dicitur, quod Africam domuerit. Hæc si ex factis celeberrimis, quæ unum cognoscunt auctorem, usurpantur, ornant orationem; si secus obfuscant. Huc etiam pertinent, quæ ab insigni flagitiorum similitudine nomen derivant. Pro Sex. Roscio: *Non suis manibus in curru collocat Antomedontem illum sui sceleris acerbissimi, nefariæque victoriæ nuncium?* Ubi Glauciam nominat Automedontem, velocissimum Achillis aurigam, ex celeritate, qua iter confecit. Sed Glauciam jam proxime nominaverat. Unde hæc potius sumuntur ex nomine alieno, ut proprium magis ad vivum exprimant, non autem occultent.

Onomatopœja est fictio verbi voci exprimendæ, quæ naturaliter gignitur, persimilis. Hujus *tropi* nomen, & definitio ad nos permanavit; usus cum linguæ auctoribus interiit. Ab is plura

hujus-

hujusmodi sunt verba conformata, ut *hinnitus* equorum, *mugitus* boum, *balatus* ovium, *sibilus* serpentis, & hujusmodi plurima.

Catachresis est vocis abusio, qua verbis abutimur propinquis, si opus est; ut quum dicimus *grandem* orationem pro magna; *minutum* animum pro parvo. hac ratione *breves* dicimus corporis vires, aut *longum* in homine consilium, aut *longam* artem, & *sperare* pro timere. Utimur hoc *tropo*, quum opus est, vel quod deceat, vel quod etiam aliquando delectet. Etsi autem aliquando paullo licentius, numquam tamen impudenter illum usurpabimus. Discite ex Cicerone. De Fin. I. *Ecce autem alii minuti, & angusti, aut omnia semper desperantes, aut malevoli, invidi, difficiles, lucifugi, maledici, monstruosi*. Post Red. in Senatu. *Sed fuerunt duo consules, quorum mentes angustæ, pravæ, oppletæ tenebris, ac sordibus*, & pro Sex. Roscio. *Sin a vobis, id quod non spero, deserar*.

Metalepsim nominavimus, ac *tropis* descripsimus; sed operæ pretium esset nomen ipsum præterire: quum, qui illud interpretantur, vix possint explicare. Dicitur *Transumptio, quæ ex alio in aliud velut viam præstat*. Idem tamen, qui hunc definit, Quintilianus, & rarissimum vocat *tropum*, & maxime improprium. Quare qui huc vocant ea poetarum exempla, in quibus vel *aristas*, vel *messes*, vel *brumas* pro annis posuere, rem mihi facere supervacaneam videntur; quum ad *Synechdochen*, sive *Metonymiam* commodius rejici possint; sive pars sumatur pro toto, sive pro caussa effectus.

De

De Periphrasi, & Hyperbole.

CAP. XI.

P*Eriphrasis*, quæ Latinis circuitio dicitur, *est oratio rem simplicem assumptam circumscribens elocutione*: hoc pacto, *Scipionis providentia Carthaginis opes fregit*. Nam hic nisi ornandi ratio quædam esset habita, *Scipio* potuit, & *Carthago* simpliciter appellari. Nemo non videt plurimum venustatis, & ponderis per hujusmodi circuitiones sententiis adjungi. Hac enim ratione rem circumscribere est rem ipsam oratorie expolire, & amplificare per ejusdem sive adjuncta, sive caussas, sive effectus. Cur autem hæc *Tropis* annumeretur, ego quidem non video: viderint illi, qui huc eam invexerunt.

Quum igitur aliquid sive elegantiæ, sive momenti hæc affert circuitio, tum est probanda: quum aliud efficit nihil, nisi ut id, quod unico verbo potest aptissime, & Latine explicari, per plura fundatur, sive enervetur; ea pariter infringi orationem, ac depravari pro certo habete.

Tum hac uti circuitione est opus, quum proprium nomen aliquid nimis abjecti, vel fœdi præ se fert. Vitandi etiam ominis caussa, Cicero pro Lege Man. de Pompejo: *Si quid de eo factum esset*, maluit dicere, quam si mortuus esset, quod tamen indicabat. Tum etiam *periphrasis* laudatur, quum vox propria potest esse auditoribus ingrata; aut invidiosa dicenti. Sic ne diceret Cicero pro Mil. Servi Milonis Clodium occiderunt, illud aptissime invenit. *Fecerunt servi Mi-*

Milonis, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

Poetæ ita sæpius rem circumscribunt verbis, quasi signis quibusdam ad rem ipsam sine nomine proprio innuendam. Virgilius de Ciconea:

„ Candida venit avis longis invisa colubris.

Quam id præclare in poemate; at quis ferat in oratione? Imo & in carmina cavendum, ne hac ratione quidquam nimis obscuri irrepat. De fusioribus descriptionibus, quas minime periphrasis nomine comprehendimus, agemus suo loco.

Hyperbole, Latine superlatio, est oratio, quæ augendo, vel minuendo fidem superat. Fit autem vel cum comparatione, vel sine: ac primo:

Sine comparatione fit, quum ornandi caussa quidquam per se provehimus ultra veritatem, ut sunt illa Ciceronis in Cat. II. *Tantus enim illorum temporum dolor inustus est civitati, ut jam ista non modo homines, sed ne pecudes quidem mihi passuræ esse videantur.* & Phil. XIII. *Illis locus si in hac urbe fuerit, urbi ipsi locus non erit.*

Per comparationem fit superlatio, aut a similitudine, aut a præstantia. Per simplicem similitudinem rem exaggeramus; ut quum dicimus *corpore niveum candorem, aspectu igneum ardorem assequebatur.* De Cæsare pro M. Marcello: *Nec vero disiunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis lustrata sunt.*

Per similitudinem etiam, aut præter comparationem, incredibiliter quidquam deprimitur, ut post Red. in Sen. de Pisone: *Cum hoc homi-*

ne,

ne, aut cum ſtipite Æthiope, ſi in foro conſtitiſſes, nihil crederes intereſſe.

A præſtantia fit per *hyperbolem* comparatio, quum ponitur exceſſus aliquis in re comparata. Sic ornandi cauſſa de Pompejo pro Lege Man. *Qui ſæpius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertavit; plura bella geſſit, quam cæteri legerunt; plures provincias confecit, quam alii concupiverunt.* Deprimendo etiam, aut vituperando fit ſuperlata comparatio: ut in Piſonem: *Ego te non vecordem, non furioſum, non mente captum, non Tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiorem putem?*

Interdum ad rem incredibilius efferendam, aliæ ſuperadduntur ſuperlationes; ſic Phil. II. *Quæ Charybdis tam vorax? Charibdin dico? quæ ſi fuit, fuit animal unum. Oceanus mediusfidius mihi vix videtur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe.* Sed modus in his etiam adhibendus. Facile ſiquidem eſt, quidvis immodice exaggerare; ſed non tam facile, quando, & quoad deceat videre.

De Ironia.

CAP. XII.

SUnt qui *Ironiæ* figuris annumerent; æquius forte, nos aquam profluentem, quo fert tempeſtas ſine rei detrimento, minime prohibeamus.

Ironia eſt quædam dicentis diſſimulatio, qua ver-

verbis aliud exprimimus, aliud, imo & contrarium re ipsa significamus. Venit hæc sæpe in usum oratorium, & facillime in auditorum mentes irrepit. Statim enim dicentis intentio, atque ipsa dissimulatio deprehenditur, tum orationis contextu, tum flexu quodam pronunciationis ad jocandum, vel irridendum, vel contemnendum efficto, & accommodato. Sæpe etiam, quæ dicuntur manifeste absurda produnt oratoris mentem non sine auditorum voluptate. Sunt hujus generis in Verrem: *Verres Prætor urbanus, homo sanctus, & diligens*. In Clodium: *Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta servavit*. Sæpe etiam fusius producuntur: in Pisonem triumphalis gloriæ contemptorem. *Non est integrum Cn. Pompejo, consilio jam uti suo: erravit enim: non gustarat istam tuam philosophiam. Ter jam homo stultus triumphavit. Crasse, pudet me tui: quid est, quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a senatu? P. Servili, Q. Metelle, C. Curio. P. Africane, cur non hunc audistis tam doctum hominem, tam eruditum, prius quam in istum errorem induceremini?* Atque ita longius progreditur.

Sunt Ironiæ proprii quidam modi. Elegans vel in primis est maxime post facti narrationem, adverbium *en*, sive *ecce*. Ita lib. I. act. II. in Verrem: *En cui tuos liberos committas, en memoria mortui sodalis, en metus vivorum existimationis*. Et lib. V. *En fœderum interpretes, societatis pactores, religionis auctores*.

Illa etiam dissimulationem habere solent: *Scilicet*,

licet, *credo*, & hujuſmodi Phil. VII. *Scilicet legatos ad eum miſimus, non ut pareret, & dicto audiens eſſet huic ordini; ſed ut conditiones ferret, leges imponeret; reſerare nos exteris gentibus Italiam juberet; ſe præſertim incolumi, a quo majus periculum, quam ab ullis nationibus extimeſcendum eſt*. Phil. I. *Hannibal*, *credo*, *erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur, ad quam cauſſam etiam Appium illum cæcum, & ſenem delatum eſſe memoriæ proditum eſt*.



DE

DE FIGURIS

LIBER II.

Figuræ sunt verborum, & sententiarum illæ lumina, quæ Græci vocant Schemata, quod sint quasi quidam gestus orationis. Hæc autem, non tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis sententiis, & magnum afferunt ornatum orationi.

Figuræ sunt aliæ verborum, aliæ sententiarum. Sunt figuræ verborum, quæ verbis mutatis, non manent, manente sententia. Sententiarum vero, quæ permanent, etiamsi verba mutaveris.

De Figuris verborum.

CAP. I.

De variis repetitionum generibus.

Repetitio *est crebra ab initio ejusdem verbi revocatio*. Cic. in Cat. I. *Nihil ne te nocturnum præsidium Palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora, vultusque moverunt?* Vide in eadem sententia repetitionem innovari Phil. II. *Ego* (Antonius) *ad illum* (Cæsarem) *belli*

belli civilis caussam attuli: ego leges perniciosas rogavi: ego arma contra consules, imperatoresque populi Romani, contra senatum, populumque R., contra Deos patrios, arasque, & focos, contra patriam tuli.

Conversio est iteratio ejusdem verbi in fine; seu est figura, qua sæpe in idem verbum conjicitur oratio. Phil. 11. *Doletis tres exercitus populi R. interfectos? Interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? Eos quoque eripuit nobis Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta est? Afflixit Antonius.*

Complexio est ejusdem verbi crebra tum a principio repetitio, tum in extremum conversio. Complectitur hæc una exornatio utramq. jam expositam figuram: nam sæpe repetit idem primum verbum, & crebro ad idem postremum revertit. Ita in II. de Lege Agraria. *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem populi suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? Rullus. Quis tribus, quas voluit, vocavit, nullo custode sortitus? Quis decemviros, quos voluit, renunciavit? idem Rullus.*

Conduplicatio est figura, qua duplicantur, iteranturque verba: seu est unius, aut plurium verborum iteratio: fit autem pluribus modis, ac primum nullo interposito verbo, cujus sunt apud Ciceronem exempla innumerabilia. Pro Fontejo: *Fuit, fuit in illis judicibus divinum, ac singulare judicium.* Post red. in Sen. *Potui, potui, P.C., multis auctoribus fortissimis viris, me vi, armisque defendere.*

Sæpe ad vim augendam interponitur aliqua conjunctio: ut in Catil. 1. *Vivis, & vivis, non*

ad

ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Sunt fere hujus generis illa, in Verrem lib. V. *Errabas, Verres, & vehementer errabas*: & pro Mil. *Valeant, inquit, valeant cives mei*.

Pondus etiam adjungit ſententiæ hæc figura, quum aliquando poſt abſolutam ſententiam verbum aliquod, ſive particula repetitur, qua nititur vis major: ut in IV. Accuſationum. *Potes domeſticæ laudis amplitudinem, Scipio, tueri, potes*. De Haruſp. reſponſis: *Bonam Deam appellat, quia ſibi in tanto ſcelere ignoverit. Non ignovit, mihi crede, non*. Hinc etiam nonnunquam ita circumducitur ſententia, ut eodem verbo incipiat, ac deſinat. Sic lib. V. in Verrem. *Tulit hæc civitas quoad potuit, quoad neceſſe fuit, regiam iſtam veſtram dominationem in judiciis, & in omni rep. tulit*.

Traductio, ſeu Trajectio eſt repetitio ejuſdem dictionis cum aliqua mutatione. Pro Sex. Roſcio: *Sua quemque fraus, ſuus error maxime vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent*: Tum vero eſt elegantiſſima traductio, quum idem verbum ad concinnitatem orationis in variis ſententiis repetitur; ſive in varia, & apta collocatione elegantem habet diſtinctionem; Sic pro Milone. *Addit hæc, quæ certe vera ſunt: fortes, & ſapientes Viros non tam præmia ſequi ſolere recte factorum, quam ipſa recte facta... Sed tamen ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium gloriam*. Aliter lib. IV. Accuſat. in Ver. de Marcello: *Putavit, ſi urbis ornamenta domum*

suam non contulisset, domum suam urbi ornamento futuram.

De aliis Verborum figuris.

CAP. II.

C*Onjunctio est frequens conjunctionum iteratio.* Pro Sex. Roscio: *Nonne & audaciam ejus, qui in crimen vocetur, singularem ostendere, & mores feros, immanemque naturam, & vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, & denique omnia ad perniciem profligata, atque perdita?*

Dissolutio est soluta conjunctionibus oratio. Post red. ad Quir. *P. Lentulus consul, parens, Deus, salus nostræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis.* Pro Milone: *Me patria expulerat; bona diripuerat; Domum incenderat; liberos, conjugem meam vexaverat; Cn. Pompejo nefarium bellum indixerat.* Hoc genus exornationis quamquam videtur tenuissimum adhibere cultum orationi; habet in se tamen acrimoniam: & quum ad nitidam quamdam brevitatem sit accommodatum, expeditis narrationibus apprime convenit. Terentius in And. s. 1.

,, Funus interim
,, Procedit; sequimur; ad sepulcrum venimus:
,, In ignem posita est; fletur.

Annominatio est lusio quædam in verbis. Sita hæc est in exigua verbi immutatione, & insigni significationis hinc orta varietate; ut quum *nobilio-*

bilIorem Cato *Mobiliorem* dixit: aut ut idem, quum cuidam dixisset: *Eamus deambulatum:* & ille: *Quid opus fuit de? Immo vero, inquit, quid opus fuit te?* Sed hæc joci caussa. Utitur tamen aliquando etiam Cicero in Orationibus his jocis ad vellicandos acrius, vel festivius irridendos adversarios. Sic pro Sex. Roscio. *T. Roscius terret etiam nos, ac minatur tribus prædiis, hoc est præmiis sceleris ornatus.* Ibid. *Tametsi non modo ignoscendi ratio, verum etiam cognoscendi consuetudo de civitate sublata est.* At quemadmodum ex hoc prope verborum aucupio non negaverim posse multa nasci concinne dicta, & peracute, tum ad venustatem, tum ad aliquem liberalem jocum, & acerbiorem reprehensionem; ita est certum multa hinc inepta conformari, & frigida, & putida, & scurrilia. Quare numquam auctor ipse fuerim, ut huic quispiam discipulorum se dedat studio; & quod in id proclivi difficile est, quod deceat, videre, ac sibi temperare; & quod nihil in hoc genere probatur, quod non sit sponte natum.

Similiter cadens, & similiter desinens fit, quum plura sive cadunt, sive desinunt aliqua soni, vel collocationis similitudine. Nihilque ad rem pertinet unum ab altero distingui. Pro Milone: *P. Lentulus ultor sceleris illius, propugnator senatus, defensor vestræ voluntatis, patronus illius publici consensus; restitutor salutis meæ.* Pro lege Man. *Ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint; sed etiam venti, tempestatesque obsecundarint.*

Compar est oratio ex membris composita pari pro-

pe numero syllabarum constantibus. Pro Mil. *At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor injuriæ, punitor doloris sui*. Pro Sex. Roscio de T. Roscio. *Multa palam domum suam auferebat; plura clam de medio removebat, non pauca suis adjutoribus large, effuseque donabat; reliqua constituta auctione vendebat*.

Parum, uti videtis, defferunt inter se hujusmodi postremæ verborum figuræ. Sed id refert minimum: illud puto animadvertendum, quam sint pulchræ, & concinnæ in exemplis hactenus allatis. Verum quot sunt aliis luminibus illustratæ? Certe nisi aliunde commendentur, ac si crebro fiant; his numeris æqualibus, vel certe similibus nihil erit molestius, nihil insuavius:

De Figuris sententiarum ac primum: De interrogatione, ejusque variis modis.

CAP. III.

I*Nterrogatio figura est, quæ non ad sciscitandum, sed ad instandum, arguendum, commovendum, aut ad alium hujusmodi finem adhibetur*. Si tantum fiat ad sciscitandum non est figura.

Nihil sane efficacius ad instandum afferri potest crebris, & brevibus interrogationibus. Ita perstringit Cicero Tuberonem pro Ligario. *Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cu-*

pie-

piebas? quid optabas? nimis urgeo. commoveri videtur adolescens. ad me revertar.

Ad commovendos judices sic agit in Miloniana peroratione post alias interrogationes. *O me miserum, o infelicem! revocare tu me in patriam, Milo, potuisti per hos; ego te in patria per eosdem retinere non potero? quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? Quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, consorti mecum temporum illorum? Me non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram ille servasset?* Pergit ille; sed ista exempli caussa sufficiant. Est enim hæc figura ad omnes animorum motus vel in primis apta, & ad vim, ad ornatum, ad amplificationem, ad varietatem maxime accommodata. Ejus autem sunt elegantissimi plures modi; quorum aliquos indicare satis erit.

Ad indignationem, seu conquestionem, & reprehensionem frequentes occurrunt illæ formulæ: *Itane est? Itane? Itane vero?* Pro Sex. Roscio. *Itane est? In minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo judicio condemnetur necesse est: in re tanta, quum is, cui fama mortui, fortunæ vivi commendatæ sunt, atque concreditæ, ignominia mortuum affecerit; is inter honestos homines, atque adeo inter vivos nominabitur?* In Verr. lib. I. act. II. *Itane vero? tu quum quæstor ad exercitum missus sis, custos non solum pecuniæ, sed etiam consulis, particeps omnium rerum, consiliorumque fueris, habitus sis in liberum loco, sicut mos majorum ferebat; repente relinquas? Deseras? ad adversarios transeas.*

Valet ad aliquid traducendum in deteriorem partem cum acri exprobratione modus ille Ciceroni familiaris. *Quid est aliud*. Pro Sex. Roscio. *Quid est aliud judicio, & legibus, ac majestate abuti?* Et II. *Quid est aliud tollere e vita vitæ societatem?* Jam vero illa quam sæpe occurrunt? *quid? quid enim? quid ergo? quid quod* ... & hujusmodi. Mirum est, quantum hæc valeant ad vim, & incrementum orationis; tum ad instandum, & arguendum, atque ad orationem ipsam longius provehendam. Pro Deiotaro. *Quid? ille signa ænea in insidiis posuerat?* In Epist. ad Fam. *Quid enim? ad amicos ne confugiam?* lib. II. de fin. *Quid ergo? istam voluptatem Epicurus ignorat?* II. de Divin. *Quid ergo? ad hæc mediocri opus est prudentia? An & ingenio præstanti, & eruditione perfecta?* In Verrem. *Quid est; quod tu alios accuses?* II. de fin. *Quid est, cur verear?* Pro lege Man.: *Quid quod salus sociorum summum in periculum, ac discrimen adducitur?*

Ad paucitatem cum quadam admiratione significandam frequens est apud Latinos: *Quotus quisque est*... præsertim quum contrarium potius esset optandum. Sic. Tusc. qq. II. *Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo, ac vita constitutus, ut ratio postulat?*

De Subjectione, & Sustentatione.

CAP. IV.

SUbjectionem dicimus ex pervagato jam usu eam figuram, quam simul Cicero nominat, ac

ac definit, sibi ipsi responsionem. Sub hac igitur notione usurpata,

Subjectio est figura, qua idem interrogat, suæque interrogationi respondet. Hujus exornationis clarissimum est lumen, atque ad res insinuandas, & suadendas cum acrimonia, & brevitate aptissimum, ut exemplis planum fiet.

In Catil. I. sic Patria demonstrat nihil obstare, quo minus ipsum Catilinam in conjuratione deprehensum Consul mactari imperaret. *Quid tandem impedit te? Mosne majorum? At persæpe etiam privati in hac rep. perniciosos cives morte multarunt. An leges, quæ de civium Romanorum supplicio rogatæ sunt? At numquam in hac urbe ii, qui a rep. defecerunt, civium jura tenuerunt*. Atque ita longius progreditur.

Ad ornandum pulcherrima est quæ legitur III. de Orat. *Quid enim M. Catoni, præter hanc politissimam doctrinam transmarinam, atque adventitiam defuit? Num quia jus civile didicerat, caussas non dicebat? aut quia poterat dicere, juris scientiam negligebat? At utroque in genere & laboravit, & præstitit. Num propter hanc ex privatorum negotiis collectam gratiam tardior in rep. capessenda fuit? nemo apud populum fortior, nemo melior senator: idem facile optimus imperator: denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri, discive potuit, quod ille non cum investigarit, & scierit, tum etiam conscripserit*.

Ad exprobandum est illa pro Domo sua. *Qui sunt homines a Q. Metello fratre tuo consule in senatum palam nominati, a quibus ille se lapidibus appetitum, & percussum esse dixit? L. Sergium,*

gium, & M. Lollium nominavit. Quis est iste Lollius? qui sine ferro ne nunc quidem tecum est; qui, te tribuno pl., nihil de me dicam, sed qui Cn. Pompejum interficiendum depoposcit. Quis est Sergius? armiger Catilinæ, stipator tui corporis, signifer seditionis, concitator tabernariorum; damnatus injuriarum, percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor curiæ.

Quam etiam præclaram facti defensionem, discessus nimirum ex urbe continet alter ejusdem orationis locus? *Objicitur mihi meus ille discessus: cui ego crimini respondere sine mea maxima laude non possum. Quid enim, pontifices, debeo dicere? peccati me conscientia profugisse? at id, quod mihi crimini dabatur, non modo peccatum non erat, sed erat res post natos homines pulcherrima. Judicium populi pertimuisse? at id nec propositum ullum fuit, &, si fuisset, duplicata gloria discessissem. Bonorum mihi præsidium defuisse? falsum est. Me mortem timuisse? turpe est.*

Est etiam subjectio quædam imperfecta, in qua nimirum supprimitur interrogationis nota. Illa sane sunt ad commiserationem simul, & indignationem gravissime commemorata pro Sextio: *Captum erat forum anno superiore, æde Castoris, tamquam arce aliqua, a fugitivis occupata: silebatur. Omnia hominum, cum egestate, tum audacia perditorum, clamore, concursu, vi, manu gerebantur: perferebatis. Magistratus templis pellebantur; alii omnino aditu, ac foro prohibebantur: nemo resistebat. Gladiatores ex prætoris comitatu comprehensi, in senatum introducti, confessi, in vincula conjecti a Milo-*

ne,

ne, emissi a Sergio. mentio nulla. Forum corporibus civium Romanorum constratum cæde nocturna. non modo nulla nova quæstio, sed etiam vetera judicia sublata. Extat apud Terentium huius figuræ exemplum in eleganti Parasiti descriptione, Eun. a II. s. II.

,, Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque.

,, Negat quis, nego: ait, ajo.

Sustentatio est figura, quæ movet in animis auditorum exspectationem; tum aliquid subjungit minime expectatum. Huic autem figuræ invenies fere jam descriptam subjectionem admisceri. Act. II. in Verrem. *Videte porro aliam dementiam: videte, ut, dum expedire sese vult, induat. Cognitorem adscribit Sthenio: quem? cognatum aliquem, aut propinquum? non. Thermitanum aliquem, honestum hominem, ac nobilem? ne id quidem. At Siculum, in quo aliquis splendor, dignitasque esset? minime. Quid igitur? Civem Romanum.* Pergit deinde longius, augens expectationem simul, & facti iniquissimi admirationem; ut tandem explicet, datum esse cognitorem Sthenio C. Claudium, quo erat nemo omnium mortalium Sthenio inimicior. Hac audiendi exitus rei cupiditate incendit acrius, & manifestius animos judicum Lib. V. *Etiamnunc mihi expectare videmini, judices, quid deinde factum sit: quod iste nihil umquam fecit sine aliquo quæstu, atque præda. Quid in ejusmodi re fieri potuit? quod commodum est? expectate facinus, quam vultis, improbum: vincam tamen expectationem omnium. Nomine sceleris, conjurationisque damnati, ad supplicium traditi, ad* pa-

palum alligati, repente, multis millibus hominum inspectantibus, soluti sunt, & Leonidæ illi domino redditi.

De Dubitatione, & Communicatione.

CAP. V.

D*Ubitatio est, quum ancipites quærimus, quid dicendum, agendamve sit*. Tum vero adhibetur, quum in re gravi, ac difficili, seu iniqua versantibus non satis videtur nobis suppetere ad deliberandum consilii. Cic. pro Quintio: *Sin & poterit Nævius, quod lubet, & ei lubebit, quod non licet, quid agendum est? qui Deus appellandus est? cujus hominis fides imploranda est? qui denique questus, qui mœror dignus inveniri calamitate tanta potest?*

Pro eodem Quinctio, vide quam artificiose, dum ambigit, quo nomine Nævii factum appellet, ejusdem scelus augeat. *Si vadimonium omnino tibi cum P. Quinctio nullum fuit, quo te nomine appellamus? improbum? at, etiamsi desertum vadimonium esset, tamen in ista postulatione, & proscriptione bonorum improbissimum reperiebare. Num malitiosum? negas. fraudolentum? jam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas. audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria, & obsoleta sunt, res autem nova, & inaudita. Quid ergo est? vereor mehercule, ne aut gravioribus utar verbis, quam natura fert; aut levioribus, quam caussa postulat.*

Sed nullus præclarior dubitationis modus, quam

quam quem ipſe Cicero refert III. de Oratore ex Gracchi oratione. *Quo me miſer conferam? quo vertam? In Capitoliumne? at fratris ſanguine redundat. an domum? matremne ut miſeram, lamentantemque videam, & abjectam?* Quæ ſic ab illo (addit Cicero) acta eſſe conſtabat, oculis, voce, geſtu, inimici ut lacrimas tenere non poſſent.

Communicatio eſt, quaſi cum iis ipſis, apud quos dicas, deliberatio; ut ſæpe cum iis, qui audiunt, nonnumquam etiam cum adverſario deliberes. Sic pro C. Rabirio. *Hic jam, ut omittam cetera, de te ipſo Labiene quæro: Quum Saturninus Capitolium teneret; armatus eſſet una cum Glaucia .... quid tandem C. Rabirio faciendum fuit? De te ipſo Q. Labiene quæro: quum ad arma conſules ex S. C. vocaviſſent .... quid tandem C. Rabirio facere convenit?* Pro Sex. Roſcio. *Ita quæro abs te, C. Eruti, quo modo occiderit; & ſic tecum agam, ut in eo loco vel reſpondendi, vel interpellandi tibi poteſtatem faciam, vel etiam, ſi quid voles, interrogandi. Quo modo occidit? Ipſe percuſſit, an aliis occidendum dedit?* Citra omnem diſceptationem venuſtiſſima eſt communicatio, quæ legitur Epiſt. XXVI. lib. IX. ad Famil. *Miraris tam exhilaratam eſſe ſeveritatem noſtram? Quid ergo faciam? Te conſulo, qui philoſophum audis. Angar? Excruciemne me? quid aſſequar? Deinde, quem ad finem? Vivas, inquis, in litteris. An quicquam me aliud agere cenſes? aut poſſem vivere, niſi in litteris viverem?*

Hanc videtis figuram dubitationi affinem eſſe; atque in hac pariter plurimum roboris ineſſe, ad

ad animos auditorum excitandos, tum ad res ipsas efficacius suadendas.

De Concessione, & Præteritione.

CAP. VI.

Concessio fit, *quum aliquid caussæ nostræ fiducia concedimus.* Eo spectat hæc figura, ut postquam liberaliter egimus cum ipso adversario, vel cum iis, quibuscum disputamus, liceat nobis liberius aliquid negare, vel aliquid æquius sumere. Cicero pro Flacco hoc dicit de toto genere Græcorum. *Tribuo illis litteras: do multarum artium disciplinam: non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam si qua sibi alia sumunt, non repugno. testimoniorum religionem, & fidem numquam ista natio coluit; totiusque hujusce rei quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus ignorant.*

Hac figura unum aliquando artificiose conceditur, quod per se iniquum est, ut alterum rejiciatur, quod multo videtur iniquius. Pro Cluentio sic de falsa loquitur invidia: *Dominetur in concionibus; jaceat in judiciis: valeat in opinionibus, ac sermonibus imperitorum; ab ingeniis prudentium repudietur; vehementes habeat repentinos impetus; spatio interposito, & caussa cognita consenescat.*

Ita etiam ad redarguendum solet sæpe ironiam, seu dissimulationem præferre. Sic pro Flacco. *Litemus igitur Lentulo; parentemus Cethego,*

go; revocemus ejectos; nimiæ pietatis, & summi amoris in patriam vicissim nos pœnas, si ita diis placet, sufferamus.

Ex adductis exemplis tum illud plane videbis, quam sit hæc figura commoda oratori non minus ad reprehendendum, & dissimulandum cum acrimonia, quam ad fidem orationi faciendam, atque orationem ipsam elegantissime variandam; tum percipies, quibus modis induci soleat: *Do, tribuo, concedo, æsto, licet per me*, & similibus, quibus significatur aliquid concedi, vel permitti.

Præteritio figura est, qua simulamus ea nos velle reticere, quæ tum dicimus. Non distat plurimum a concessione. Neque minus frequens est, aut minus elegans, & illustris apud summum oratorem præteritionis usus. Pro Lege Man. *Multa prætereo consulto; sed ea vos conjectura perspicitis*. In eadem: *Sinite hoc loco, Quirites, sicuti poetæ solent, qui Res Romanas scribunt, præterire me nostram calamitatem, quæ tanta fuit; etc.*

In reprehendendo solet sæpe acrior esse præteritio, ac plura significare, quam si res ipsæ alia ratione describerentur. Quam est illa in Vatinium acerba! *Atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere: licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris: habeat hoc præmium tua indignitas, ut adolescentiæ turpitudo obscuritate, & sordibus tuis obtegatur.*

Est maxime artificiosum illud præteritionis genus, quo utitur Cicero pro M. Cœlio. *Quid ego nunc argumentis huic crimini, quæ sunt innumo-*

numerabilia, resistam? Possum dicere, mores M. Cœlii longissime a tanti sceleris atrocitate esse disiunctos: minime esse credendum, homini tam ingenioso, tamque prudenti, non venisse in mentem, rem tanti sceleris ignotis, alienisque servis non esse credendam. Possum etiam illa, & ceterorum patronorum, & mea etiam consuetudine ab accusatore perquirere; ubi sit congressus cum servis Lucceji Cœlius? qui ei fuerit aditus? si per se, qua temeritate? si per alium, per quem? Possum . . . sic pergit aliquantulum; ac deinde: *Sed hæc quæ sunt oratoris propria . . . brevitatis caussa relinquo omnia.*

Tum elegantissime adhibetur hæc figura, quum multa occurrunt, de quibus non potest omnibus fuse disputari, vel quæ non decet, vel non expedit diligentius explicari; vel quæ fuse tractata infirmiora videri possent, vel confutationis rationem facilius adversario suppeditare. Ad omne autem orationis artificium, tum etiam ad copiam, ac si opportune, & moderate adhibeatur, ad pulcherrimum ornatum conferre plurimum hanc figuram nemo non videt.

De Correctione, Licentia, Præmunitione, & Occupatione.

CAP. VII.

Correctio est figura, qua jam dicta corrigimus. Sic quum plura Cicero exprobasset Catilinæ, ad ipsum perterrefaciendum, subdit: *Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu*

tu ut umquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ullum ut exsilium cogites? In eadem: *Quamquam quid ego te invitem, a quo jam sciam esse præmissos, qui tibi ad forum Aurelium præstolarentur armati?*

Notæ sunt, at simul pulcherrimæ correctionis eæ formæ, quæ sæpe occurrunt ad exaggerandum fere inductæ, ut ad Att. lib. XII. Epist. XLIII. *Sed ferendus tibi in hoc meus error. ferendus? imo vero etiam adjuvandus*. Phil. XIV. *Numquam enim in civili bello supplicatio decreta est. Decretam dico? ne victoris quidem litteris postulata est*. In Cat. I. *Hic tamen vivit. vivit? Imo vero etiam in senatum venit*.

Hac sæpe figura, quæ ad illustrandam, & erigendam, & inculcandam orationem est maxime idonea, transimus ad alia graviora; unde illa; *Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi R.. Quid loquar plura? quid plura? quid multa? Sed quid ego his testibus utar, quasi res dubia, aut obscura sit? Quid argumentis est opus? res loquitur ipsa*, & hujusmodi.

Licentia est figura, qua liberius aliquid dicere audemus; seu est vox quædam effrenatior redarguendi caussa, vel veritatis aperiendæ gratia, quæ cuiquam molesta videri posset; idque apud eos, quos aut vereri, aut metuere debemus. Cicero Phil. I. *Quid de reliquis reip. malis? licet ne dicere? mihi vero licet, & semper licebit, dignitatem tueri, mortem contemnere. potestas modo veniendi in hunc locum sit, dicendi periculum non recuso*.

Ejusmodi licentia si nimium videbitur acrimoniæ

niæ habere, tum aliqua ratione est mitiganda. Sunt autem ad leniendam orationem illi dicendi modi inventi, *bona cum venia; pace vestra*, & hujusmodi. Sic pro Milone: *Utinam Dii immortales fecissent (pace tua, patria, dixerim: metuo enim ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie) ut P. Clodius non modo viveret, sed etiam prætor, consul, dictator esset, antequam hoc spectaculum viderem*: Legitur apud eumdem: De natura Deorum 1. *Ut moleste ferrem tantum ingenium (bona venia me audies) in tam leves, ne dicam tam ineptas sententias incidisse?*

Hæc loco, & tempore adhibita gravitatem afferunt orationi, & rebus ipsis non leve momentum; sed eadem postulant auctoritatem in dicente. Adde hanc ipsam licentiam sæpe leniri præmunitione aliqua, de qua jam sumus dicturi.

Præmunitio est præparatio quædam auditorum ad id quod aggrediare; quod nimirum vel liberius, vel ab re longius petitum, vel præter opinionem, & consuetudinem sis allaturus. Id vero efficimus, nunc laudibus odium mitigando, nunc veniam rogando, nunc rationem afferendo. Cicero pro Q. Ligario æqua laude sibi hanc viam præmunit: *Vide quid licentiæ, Cæsar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciæ*. Sunt illa pro Archia Poeta ad veniam deposcendam notissima. *Quæso a vobis, ut in hac caussa mihi detis hanc veniam, accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam; ut me pro summo poeta, atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum litteratissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique prætore exer-*

cen-

cente judicium, patiamini de studiis humanitatis, ac litterarum paullo loqui liberius.

Pulcherrima est præmunitio pro Flacco ad declinandam simul invidiam, & ad fidem orationi suæ conciliandam. *At quos testes? primum dicam id, quod est commune, Græcos. non quo nationi huic ego unus maxime fidem derogem. nam, si quis unquam de nostris hominibus a genere isto studio, & voluntate non abhorrens fuit; me & esse arbitror, & magis etiam tum, quum plus erat otii, fuisse. Sed sunt in illo numero multi boni, docti, prudentes, qui ad hoc judicium deducti non sunt; multi imprudentes, illitterati, leves, quos variis de caussis video concitatos.*

Occupatio, quæ anteoccupatio etiam dicitur a Cicerone, ab aliis Præsumptio, est figura, qua prævenimus, ac diluimus, quæ ab adversariis, sive auditoribus objici possunt. Lib. II. Act. II. in Verrem: *Dicet aliquis: quid ergo in hoc Verrem reprehendis? qui non modo ipse fur non est, sed ne alium quidem passus est esse.* Sunt hujusmodi pro Archia. *Quæres a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur?* & non multo post: *Quæret quispiam, quid? Illi ipsi summi viri, quorum virtutes litteris proditæ sunt, istane doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt?* Pro Lege Manil. *Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, quum hæc ita sint, reliquum possit esse magnum bellum.* Sunt etiam hujus figuræ peculiares modi, sed qui fere idem significant, atque expositi in exemplis. In eadem vero significatione adversans sæpe adhibetur particula, *At*, cui fere apponitur *enim*. Pro Lege Man. *At enim nihil novi*

fiat contra exempla, atque instituta majorum.

Est maxime oratoria hæc figura. tanti enim refert videre, quid obstare possit nostræ caussæ, & quæ ad infirmanda nostra argumenta possunt menti auditorum occurrere, quanti rem ipsam persuadere.

De Descriptione, Interpretatione, & Expolitione.

CAP. VIII.

DEscriptio *est illustris explanatio, rerumque, quasi gerantur, sub aspectum subjectio.* Hæc figura, quam demonstrationem vocat Auctor ad Herennium, quæq. rei imago, seu rerum forma verbis ad vivum expressa, & Græco verbo *Hypothyposis*, & a Cicerone, uti jam est definita, dicitur sub aspectum subjectio, plurimum valet, & ad illustrandum id, quod exponitur, & ad amplificandum. Abundant hisce luminibus Ciceronis orationes.

Pro Milone sunt illa diligentissime oculis subjecta: *Milo autem quum in senatu fuisset eo die, quoad senatus dimissus est, domum venit; calceos, & vestimenta mutavit; paullisper, dum se Uxor, ut fit, comparat, commoratus est... Obviam fit ei Clodius expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut solebat; sine uxore, quod numquam fere; cum hic insidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri, & delicato ancillarum, puerorumque comitatu.*

Sed

Sed totum, quod superest narrationis, ita pictum est; ut oculis cernatur. Accusationes in Verrem sunt ornamentis ejusmodi admirabiles. In Orationibus post red. ad Quirites, pro domo sua, de Provinciis Consularibus, in Pisonem, pro Sextio, & ubicunque potest Pisonis & Gabinii mentionem inducere, nihil omittit hujus artis, quæ vim accipit ex animi dolore. Fuere enim hi consules nimis Ciceroni fatales.

Interpretatio est figura rem eamdem per plura verba, pluresve sententias inculcans. Hæc ad altius rem ipsam in animis defigendam valet. Sive tamen verbis, sive sententiis fiat exornatio; cavendum est, ne idem penitus, eodemque modo insinuetur. nam id quidem obtundere auditorem est, non rem exornare. Illustrior itaque fiat, & explanatior per hanc figuram oportet oratio. Quum in verbis immoratur, *synonimia* dici potest. ut in Cat. I. *Non feram, non patiar, non sinam*. & II. *Abiit, excessit, erupit, evasit*. Phil. V. *Promitto, recipio, spondeo*. Pro Milone. *Hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? ejicietur?*

Pluribus sententiis idem interpretatur, sive magis inculcat. In Cat. I. *Perge, quo cœpisti; egredere aliquando ex urbe; patent portæ, proficiscere*. Sic plura, quæ sequuntur, ac repetuntur in eadem oratione. Sunt illa pro Sextio pulcherrima. *An mihi ipsi, ut quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? Quid? tum mortem ne fugiebam? An erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine quum gerebam, non mihi mors, non exsilium ob oculos*

versabantur? Non hæc denique a me tum, tamquam fata, in ipsa re gerenda concinebantur? An erat mihi in tanto luctu meorum, tanta disjunctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura, aut fortuna dederat vita retinenda? Tam eram rudis, tam ignarus rerum, tam expers consilii, aut ingenii? Nihil audieram? nihil videram? nihil ipse legendo, quærendoque cognoveram? Nesciebam vitæ brevem esse cursum, gloriæ sempiternum?

Pulcherrimis, inquies, expolitionibus totum esse hunc locum instructum, & elaboratum. Adde, si lubet, quod & ego sentio, ornatissimam hanc esse, & maxime oratoriam amplificationem. Quid refert? Vides plura ad idem inculcandum inducta esse, sed a summo eloquentiæ magistro; hinc disces optimas conficere interpretationes. Nam interpretatio quidem, prout hic sumitur, ita est cum expolitione, quæ statim sequetur, conjuncta, ut eadem prope definitio utrique possit convenire.

Quod si lubeat ad verbum arctius adhærescere, ac tum interpretationem intelligi, quum quid verbo, aut sententia contineatur, evolvitur diligenter, & latius explicatur: ejus etiam non deerunt exempla apud Ciceronem. Præclaras habet interpretationes hujusmodi pro Sextio, ad versus tragœdiæ explicandos, quam actor, & poeta Ciceronis personæ, & fortunæ accommodaverat. Post alia multa: *Tum illa quanto cum gemitu populi R. ab eodem paullo post in eadem fabula sunt acta?* „ O pater -- *Me me ille absentem, ut patrem, deplorandum putarat,*

rat, quem Q. Catulus, quem multi alii sæpe in senatu patrem patriæ nominarant: quanto cum fletu de illis nostris incendiis, ac ruinis? quum patrem pulsum, patriam afflictam deploraret, domum incensam, eversamque, sic egit, ut, demonstrata pristina fortuna, quum se convertisset, „ Hæc omnia vidi inflammari, -- *fletum etiam inimicis, atque invidis excitaret?* Longissime progreditur Cicero, sed ita Tragœdiam agit in oratione, ut nihil excellentius cogitari possit, nihil ad motum animorum efficacius.

Expolitio est oratio unam eamdemque rem variis figuris, dicendique modis explicans, & exornans. Hæc ea demum exornatio est, qua, ut inquit Tullius, versat orator sæpe multis modis eamdem, & unam rem, & hæret in eadem, commoraturque sententia.

Pro Sextio: *Hæc imitamini per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis: hæc ampla sunt, hæc divina, hæc immortalia; hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur.* Idem pro Milone: *An vero judices vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini, vestræ peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur?*

De Incremento, Gradatione, Congerie, & Distributione.

CAP. IX.

INcrementum est figura, qua semper oratio crescit ab infimo ad summum. Vehementer amplificat, atq. exaggerat orationem. Sæpe in

verbis simplicibus reperitur, ut pro Milone: *Capere ejus amentiam civitas, Italia, provinciæ, regna non poterant*. Post reditum in Senatu. *Virtute, gloria, rebus gestis Cn. Pompejus, omnium gentium, omnium seculorum, omnis memoriæ facile princeps*.

In sententiis est incrementum illustrius. Insigne est illud in Verrem Accusat. VII. *Facinus est vinciri civem R., scelus verberari, prope parricidium necari: quid dicam in crucem tolli?* Phil. II. de Cæsaris interfectoribus: *Cujus autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? occultatum dico? cujus non statim divulgatum? Citius dixerim, jactasse se aliquos, ut fuisse in ista societate viderentur, qui socii non fuissent, quam ut quisquam celare vellet*.

Potest etiam fieri incrementum (si lubeat tum etiam nomen retinere) per imminutionem, sive descendendo a majori ad minus; prout hac etiam ratione res ipsa potest augeri. Sic in Vatinium. *Ne tibi hunc honorem a me haberi mirere, quod interrogem, quem nemo congressu, nemo aditu, nemo suffragio, nemo civitate, nemo luce dignum putet*. In Cat. III. *Erepti enim ex crudelissimo, ac miserrimo interitu, & erepti sine cæde, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, togati, me uno togato duce, & imperatore, vicistis*.

Gradatio est figura, quæ ita progreditur, ut semper aliquid ex præcedentibus repetat; hoc modo: *In urbe luxuries creatur; ex luxuria existat avaritia necesse est; ex avaritia erumpat audacia: inde omnia scelera, ac maleficia gignuntur*. pro Sex. Roscio. Et pro Quinctio. *Si de-*

debuisset, Sexte, petisses statim; si non statim, paullo quidem post; si non paullo, at aliquando, sex quidem illis mensibus profecto, anno vertente sive controversia.

Habet hæc figura venustatem, & gratiam, ut patet exemplis. Sed eisdem planum fit, parce utendum esse repetitione superioris verbi, quæ alioquin immoderatior insuavis futura esset.

Congeries est plurium rerum collectio, quæ quasi uno impetu orationis convolvuntur. Fit autem duobus modis, aut quum res una multiplicatur; aut quum res ipsæ congeruntur. Primi generis est pro Milone: *Tu Clodii cruentum cadaver ejecisti domo; tu in publicum ejecisti; tu spoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.* Alterius generis est illa pro Sex. Roscio. *Pater occisus nefarie, domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessio direpta, filii vita infesta, sæpe ferro, atque insidiis appetita.* Divinat. in Verrem. *Populatæ, vexatæ, funditus eversæ provinciæ; socii, stipendiariique populi R. afflicti, miseri jam non salutis spem, sed exitii solatium quærunt.*

Valet hæc plurimum exornatio, ut patet, ad rem ipsam vehementius insinuandam; ac tum præsertim, quum jam fuse enumerata, ne mente labantur, per epilogum ita contrahimus, & in oculis defigimus; tum juvat etiam plura hujusmodi colligere, quum jam pluribus explicatis, alia supersunt dicenda; vel quum singula fusius tractata vim tantam non essent habitura, quantam congesta præ se ferunt.

Distributio est figura, quæ pluribus rebus, aut certis personis peculiare quiddam impertit. Talis est illa pro Lege Manilia: *Non avaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.* Pro Milone. *Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.*

Mirum affert hæc figura splendorem orationi; & suavissimam auditori jucunditatem. Sæpissime autem in Cicerone invenitur, quod nihil ipse dicat nisi considerate; verbum nullum admittat, nisi proprium, & lectissimum; quo fit, ut distributiones elegantissimæ res ipsas consequantur.

De Contraposito, Nefas dictu, Paradoxo, Emphasi, & Epiphonemate.

CAP. X.

Contrapositum, Græce Antithesis, est oppositorum contentio; qua contraria contrariis referuntur; idque modo per verba, modo per sententias. Pro Cluentio: *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* In Cat. I. *Hoc vero quis ferre possit, inertes homines fortissimis Viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebrios sobriis, dormientes vigilantibus?* De Oratore. *Cur aut discere turpe est, quod scire honestum est: aut quod nosse pulcherrimum est, id non gloriosum docere!*

Sed

Sed passim occurrunt legenti Ciceronem pulcherrima hujus figuræ exempla.

Nefas dictu illud schema dicimus, quod nomine caret Latino, id autem intelligitur, quod fieri non potest, quodque verentur, *Impossibile* appellare illi ipsi artis magistri, qui nominibus hujus artis multo deterioribus paginas inspersérunt. Jam constat quid hæc sit figura, sive dicatur nefas dictu, quod male rem exprimit, sive *Impossibile*, quod minus Latine dicitur: *Est enim comparatio eorum, quæ fieri non possunt cum iis, quæ fieri non posse, vel non debere censemus*. Figura poetarum est: unde illam ex ipsis mutuari se dicit Cicero, dum eam usurpat in fine Phil. XIII. *Prius undas* (1), *flammamque, ut ait poeta nescio quis, prius denique omnia, quam cum Antoniis resp., aut cum rep. Antonii redeant in gratiam*.

Paradoxum est dictum mirabile præter communem opinionem. Sunt hujusmodi, quæ profert, & explicat Cicero: ex. ca. *Quod honestum est, id solum bonum. Nihil ei deesse ad bene beateque vivendum, in quo virtus sit. -- Omnem sapientem liberum esse, & omnem improbum servum. -- Solum sapientem esse divitem*, & hujusmodi. Quæ videntur potius Stoicorum disciplinæ, & Philosophorum mysteriis adscribenda, quam Rhætoricæ figuris. Certe ita jejune dicta, vix umquam possunt in usum orationis venire. Hinc & Cicero, quæ proponit hujusmodi, pluribus illustrat, & confirmat rationibus.

Potest autem res ipsa aliquando postulare, ut quid-

(1) Legunt alii: *Prius undis flamma*.

quidpiam hujusmodi summa cum dignitate in oratione afferatur: Sic pro Cornelio Balbo de Pompejo: *Ut mihi jam verum videatur illud esse, quod nonnulli litteris, ac studiis doctrinæ dediti, quasi quiddam incredibile dicere putabantur, eum, qui omnes animo virtutes penitus comprehendisset, omnia, quæ facere vellet, facillime tractare.*

Emphasis est figura plus significans, quam dicit; seu, ut inquit Cicero, *significatio major, quam oratio*. Sunt hujus generis plura pro M. Marcello de Cæsare, ut, *Ipsam victoriam vicisse videris, quum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti*. Tale illud in Cat. IV. *Neque enim turpis mors forti viro potest accidere; neque immatura consulari, nec misera sapienti*. Hæc opportune adhibita solent animos auditorum ad se rapere, & jucunda quadam afficere admiratione; sed eloquentiæ præstantiam desiderant.

Epiphonema est rei narratæ, vel probatæ subjecta sententia. Cicero pro M. Marcello postquam summis extulit laudibus mitissimum in victoria Cæsaris animum, subdit; *Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriæ conditio, visque devicta est*. Lib. III. de Oratore postquam Antonius declaravit, omnes etiam sine arte, & ratione, quæ sint in artibus, & rationibus recta, quæ prava judicare, rem absolvit hac sententia: *Mirabile est, quum plurimum in faciendo intersit inter doctum, & rudem, quam non multum differat in judicando*.

De

De Apostrophe, Exclamatione, & Optatione.

CAP. XI.

A*Postrophe est conversio sermonis ad aliquem.* Hac Orator Deum, superos, absentes compellat; hac mortuos excitat; hac ratione, & sensu carentia, quum opus est, in congressum vocat. Quæ quum incidunt repentina, & opportuna, mirum est, quantam vim adhibeant orationi, & quam afficiant auditorum animos.

Pro M. Cœlio. *Pro Dii immortales, cur interdum in hominum sceleribus maximis aut connivetis, aut præsentis fraudis pœnas reservatis?*

Pro Cornelio Balbo, de Pompejo: *Vos denique mutæ regiones imploro, & sola terrarum ultimarum; vos maria, portus, insulæ, littoraque. Quæ est enim ora, quæ sedes, qui locus, in quo non exstent hujus tum fortitudinis, tum animi, tum consilii impressa vestigia?*

Ad Milites legionis Martiæ, qui in prælio contra M. Antonium fortiter dimicarant, atque in ipsa victoria conciderant, ita se convertit, Phil. XIV.: *O fortunata mors, quæ naturæ debita pro patria est potissimum reddita! vos vero patriæ natos judico, quorum etiam nomen a Marte est; ut idem Deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur; in fuga fœda mors est, in victoria gloriosa... Illi igitur impii, quos cæcidistis, etiam ad inferos pœnas parricidii luent: vos vero, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem, & locum consecuti.*

Ma;

Manutius artis Ciceronianæ pervestigator solertissimus animadvertit, confirmatque exemplis, artis esse oratoriæ, uti apostrophe sive ad reum, sive ad judices, sive ad quemvis, post narrationes alicujus momenti.

Huc spectant conversiones illæ, quæ crebro occurrunt ad personas, ut ita dicam, indefinitas, ut pro Sextio: *Quid hoc homine facias? aut quo civem tam importunum, aut quo potius hostem tam sceleratum reserves?* Interponitur etiam quandoque cum vi, & venustate jam cæptis sententiis hæc figura, ut Pro Mil. *O Dii immortales, fortem, & a vobis, judices, conservandum virum.* Et illa, ibid. *Qui huic T. Furfanio (cui viro, Dii immortales) ausus est dicere, etc.*

Exclamatio est vehementioris affectus expressio per alicujus personæ vel rei compellationem. Fit autem vel per interjectionem, vel sine. Pro Cœlio. *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facile se per se ipsa defendat.* In Pisonem. *Dii immortales! Idne ego optarem, ut inimicus meus ea, qua nemo umquam, ignominia notaretur?* Pro Dejotaro. *Crudelis Castor, ne dicam sceleratum, & impium!* In eadem. *Felix ista domus, quæ non impunitatem solum adepta sit, sed habet etiam accusandi licentiam! calamitosus Dejotarus, qui ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur!*

Exclamationes aliæ sunt admirationis, aliæ conquestionis. Philipp. XIV. *O Solem ipsum beatissimum, qui antequam se abderet, stratis cada-*

veri-

daveribus parricidarum cum paucis fugientem vidit Antonium! Pro Corn. Balbo. *O nomen nostri imperii! o populi R. excellens dignitas! O Cn. Pompeji sic late longeque diffusa laus, ut ejus gloriæ domicilium communis imperii finibus terminetur! O nationes, urbes, populi, reges, tetrarchæ, tyranni, testes Cn. Pompeji non solum virtutis in bello, sed etiam religionis in pace!*

Alterius sunt generis, & aliarum commotionum, conquestionis nimirum, sive doloris, & indignationis, in lib. III. de Orat. de Crassi morte. *O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones? quæ in medio spatio sæpe franguntur, & currunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt.* Pro Milone. *O frustra, inquit, suscepti mei labores! o spes fallaces! o cogitationes inanes meæ!*

Nihil sane validius, nihil efficacius hac figura potest afferri ad auditores commovendos, & ad irrumpendum vi magna in animos. Ideo sæpe adhibetur a præstantibus hac arte dicendi. Sed tum apte cadit, quum res ipsæ motus poscunt animi graviores; & quum sive rebus narratis, sive explicatis argumentis jam censetur animus auditorum in eas vel excitatus, vel sane pronus commotiones.

In epistolis tamen, & maxime familiaribus, etiam sine ulla præparatione suavissimæ sunt, sive ad ingentem lætitiam indicandam, sive ad alium animi (cujus epistola debet esse imago) affectum significandum. Sic Cicero ad Att. lib. VI. Ep. XVII. *O exspectatas mihi tuas litteras! o gra-*

o gratum adventum! o constantiam promissi, & fidem miram! o navigationem amandam! Et Epis. XLIV. lib. XIII. initium. *O suaves tuas litteras!*

Venustæ etiam fiunt exclamationes per Ironiam. Talis est illa in M. Antonium Phil. III. *O præclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum!* Et in Pisonem. *O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! amentem Paullum, rusticum Marium, nullius consilii patres horum amborum consulum, qui triumpharint!*

Optatio est exclamationis species, qua quidquam vehementius desiderare significamus. Exprimi fere solet propria optandi nota, *Utinam*. Pro C. Rabirio. *Utinam hanc mihi facultatem caussa concederet, ut possem hoc prædicare, C. Rabirii manu L. Saturninum hostem populi R. interfectum.* Phil. XIV. *Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris, consultisque possemus.* Suppletur etiam eleganter adverbium optandi aliis rationibus. Talis est illa Phil. IX. *Vellem, Dii immortales fecissent, P. C., ut vivo potius Ser. Sulpicio gratias ageremus, quam honores mortuo quæreremus*, & Epis. XXVIII. lib. X. ad Fam. *Quam vellem ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Mart. invitasses! reliquiarum nihil haberemus.*

De Precatione, Imprecatione, Ominatione, & Reticentia.

CAP. XII.

Precatio est Dei, vel Cælestium, vel cujusquam hominis auxilii imploratio. Pro Q. Ligario:

Ad

Ad judicem sic agi solet, sed ego ad parentem loquor: erravi, temere feci; pœnitet: ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto; ut ignoscas oro. Pro Dejotaro. *Quamobrem hoc nos primum metu; C. Cæsar, per fidem, & constantiam, & clementiam tuam libera; ne residere in te ullam partem iracundiæ suspicemur. per dexteram te istam oro, quam regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti; istam inquam dexteram, non tam in bellis, & in prœliis, quam in promissis, & fide firmiorem.*

Pro C. Rabirio perduell. reo. *Quæ quum ita sint, primum, quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumque omnium fieri necesse est, ab Jove optimo maximo, ceterisque Diis, Deabusque immortalibus, quorum ope & auxilio multo magis hæc resp., quam ratione hominum, & consilio gubernatur, pacem, & veniam peto; precorque ab iis, ut hodiernum diem, & ad hujus salutem conservandam, & ad remp. constituendam illuxisse patiantur.*

Sunt precationes in exitu maxime orationum gravissimæ, atque ad animos auditorum sive flectendos, sive commovendos, sive erigendos, quum res postulat, aptissimæ.

Quum aliquid ut eveniat, oramus, tum precatio est: quum quidpiam precando studemus avertere, tum proprie utimur deprecatione. execrationem vocant alii, sed haud scio, num satis proprie in hac significatione. Huc eam revocamus, quod etiam malum precatione depellimus. Phil. VIII. *Quid nos? numquid tale habemus? Dii meliora.* & XIV. *O Dii immortales, avertite, & detestamini quæso hoc omen.* Pro

Sex.

Sex. Roscio. *Dii prohibeant, judices, ut hoc, quod majores consilium publicum vocari voluerunt, præsidium sectorum existimetur.*

Imprecatio est figura, qua malum alicui precamur. Cic. pro Dejotaro. *Dii te perdant fugitive: ita non modo nequam, & improbus, sed & fatuus, & amens es.* In eadem. *Quæ crux huic fugitivo potest satis supplicii afferre?* In Cat. I. *Hisce omnibus, Catilina cum reip. salute, & cum tua peste, ac pernicie, cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere, parricidioque junxerunt, proficiscere ad impium bellum, ac nefarium.*

Sed operæ pretium erit cum ex animo, tum ex oratione figuram hujusmodi expungere, cujus usus vix umquam, ac ne vix quidem, homini Christiano, ne in perditos quidem, profligatosque, probari potest. non enim quidquam nobis licet, nisi malum, & scelera execrari.

Ominatio est figura, qua ventura vel bona, vel mala quasi vaticinando prædicimus.

In Cat. I. sic Patria Ciceronem alloquitur: *An quum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt; tum te non existimas invidiæ incendio conflagraturum?* Pro Milone ad Pompejum. *Erit illud profecto tempus, & illucesset aliquando ille dies, quum tu salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis, qui quam crebro accidant, experti debemus scire, & amicissimi benevolentiam, & gravissimi hominis fidem, & unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres.*

Uberem hæc figura copiam dicendi suppeditat; tum

tum valet plurimum ad res ita subiiciendas, ut moveant. Sed alio loco de hac redibit sermo.

Reticentia, seu præcisio, est figura, qua præcidimus orationem, ac reticemus, quod dicturi videbamur. Si tam stricte sumas reticentiam, ut ea intelligas suspensam obtruncari sententiam; ejus vix ullum reperies apud Ciceronem exemplum; idque ad vehementiorem animi commotionem significandam. Sin latius usurpes; ad eam referes illos Præteritionis modos, quibus ad alia transimus: *Quid multa? Quid loquor plura?* & hujus generis alia, quæ occurrunt sæpissime.

Prout hic definita est, legitur ad Att. Epist. xxii. l. VII. *O celeritatem incredibilem! hujus autem nostri. Sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor, & crucior.*

Terentius in Andria A. 1. s. 1.

„ Mala mens malus animus, quem quidem
„ ego si sensero..
„ Sed quid opus est verbis?

De Prosopopœja, & Sermocinatione.

CAP. XIII.

P*Rosopopœja est personarum ficta inductio, qua vita, vel ratione carentibus sensus affectus, & sermo datur.* Hac mortuos excitare concessum est: hac urbes, & populi, saxa quoque, & parietes vocem accipiunt. Nulla exstat figura, quæ genus orationis efferat magis, quæq. ad augendum, & excitandum, & commovendum

sit aptior. Sed illud maxime curandum, ut quæ vel ipsis mutis rebus verba tribuimus, & sint accommodata, & sint gravissima.

Cicero Divinatione in Verrem: *Sicilia tota si una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit; quod in unaquaque re beneficio senatus, populiq. R. juris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuisti, atque abstulisti.*

In Cat. I. Patriam inducit exilium Catilinæ suadentem. *Quæ tecum, Catilina, sic agit, & quodam modo tacita loquitur. Nullum jam tot annos facinus extitit nisi per te, nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio, direptioque sociorum impunita fuit, ac libera: tu non solum ad negligendas leges, & quæstiones, verum etiam ad evertendas, perfrigendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc vero me totam esse in metu propter te unum; quidquid increpuerit, Catilinam timeri; nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe; si verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.*

Pro M. Cœlio quam est acris, & vehemens in Clodiam oratio, quam Cicero tribuit Appio Cæco? *Exsistat igitur ex hac ipsa familia aliquis, ac potissimum Cæcus ille. minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit: qui profecto si extiterit, sic aget, & sic loquetur. Mulier, quid tibi cum Cœlio?... Cur aut tam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares; aut*

tam

tam inimica, ut venenum timeres? non patrem tuum videras? non patruum, non avum, proavum, atavum, audieras consules fuisse? etc.

Ad hunc ornatum illa etiam lumina revocari possunt, quibus vitam, & sensum rebus inanimis tribuimus aliquando, quin voces illarum exprimamus. Mirum est, quam hæc ipsa poetarum propria venustas orationem illustret, atque ornet, moveatque in omnem partem opportune adhibita; ut pro lege Man. *Quis enim unquam aut obeundi negotii, aut consequendi quæstus studio, tam brevi tempore, tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter Cn. Pompejo duce belli impetus navigavit?* & pro Corn. Balbo de eodem Pompejo. *Quid enim abest huic homini? ... An ingenium? quum etiam ipsi casus, eventusque rerum, non duces, sed comites ejus consiliorum fuerint? in quo uno ita summa fortuna cum summa virtute certavit, ut omnium judicio plus homini, quam deæ tribueretur?*

Sermocinatio est, quum vel aliquem secum loquentem, vel plures mutuo colloquentes inducimus, vel ipsi ab aliis dicta referimus. Sive ut auctori ad Herennium placet: *Sermocinatio est, quum alicui personæ non fictæ sermo attribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis.*

Secum loquens inducitur Milo artificio singulari in ejus defensione. *Me quidem, judices, exanimant, & interimunt hæ voces Milonis, quas audio assidue, & quibus intersum quotidie: Valeant, inquit, valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet hæc urbs præclara, mihiq. patria carissima, quoquo modo merita de*

 me

me erit: tranquilla rep. cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur: ego cedam, atque abibo. Tum post pauca ad ipsum se convertit Ciceronem: *Ego quum te (mecum enim sæpissime loquitur) patriæ reddidissem, mihi non futurum in patriam putarem locum? Ubi nunc Senatus est, quem secuti sumus? etc.*

In eadem Miloniana exponit elegantissime quæstionem de servis habitam ab Appio Accusatore. *Heus ubi Ruscio? ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? fecit. certa crux. nullas fecit. sperata libertas.* Venustissimarum hujusmodi sermocinationum, in quibus fere per Dialogum plura expediuntur, & mirifice simul illustrantur, plurima apud Ciceronem invenies exempla, in quibus res ipsa satis declarat, nullo interposito nomine, qua sint ratione distinguendæ sententiæ. Pro Sex. Roscio inter hunc reum, & Titum adversarium hæc inducitur sermocinatio. *Dices, quid postea, si Romæ assiduus fui? respondebo: at ego omnino non fui. Fateor sectorem esse; verum & alii multi. at ego, ut tute arguis, agricola, & rusticus. Non continuo, si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius. at ego profecto, qui ne novi quidem quemquam sicarium, longe absum ab ejusmodi crimine.* Pro Plancio. *Male judicavit populus: at judicavit. non debuit: at potuit. non fero: at multi clarissimi, & sapientissimi cives tulerunt.*

Jam vero si exempla perquiris, quibus aliorum dicta refert orator, sive scriptor, non erit sane multum laborandum; quum hæc passim occurrant. In Pisonem. *Mihi vero ipsi coram genero*

nero

nero meo, propinquo tuo, quæ dicere ausus est? egere, foris esse Gabinium, sine provincia stare non posse, spem habere a tribuno plebis; si tua consilia cum illo conjunxisses, a senatu quidem desperasse etc. Pro Milone. *Multi etiam Catilinam, atque illa portenta loquebantur. Erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet.*

Huic sunt figuræ adscribendæ obliquæ illæ orationes, quibus sæpe utuntur historici, non raro in narrationibus oratores, Cæsar lib. V. B. G. *Consurgitur ex consilio: comprehendunt utrumque, & orant, ne sua dissensione, & pertinacia rem in summum periculum deducant: facilem esse rem, seu maneant, seu proficiscantur: si modo unum sentiant, ac probent: contra in dissenssione nullam se salutem perspicere.* Cicero in IV. Accusationis Verrinæ. *Concurrit ad me maxima multitudo; primum senatores clamare, eripi sibi jus, eripi libertatem: populus senatum laudare, gratias agere: cives R. a me nusquam discedere.*

Hæc sunt verborum, & sententiarum ornamenta, quæ hic enumeranda censuimus. Ceterum, quum istæ figuræ, uti ab initio dictum est, sint veluti gestus quidam, motusque orationis, non modo his alias adjungunt alii; verum etiam innumerabiles formari posse, docet Cicero. Sed hæc vobis sufficient orationis decora, quæ maxime ornant oratorem; nec tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis sententiis.

Sumpta ex Tullio præcepta quærito lib. III. *de Orat. c.* LII. III., *&* IV. *in Bruto c.* XXXVII, *&* LXXIX. *In Orat. c.* XXV., *&* XXXIX.

De Figuris Transitionis.

CAP. XIV.

TRansitio est brevis oratio, quæ dictis dicenda connectit. Est autem vel perfecta, vel imperfecta. Perfecta superius dicta breviter attingit, & dicenda proponit, ut pro lege Man. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam*. Imperfecta dicitur, quæ vel tantum dicta brevissime subiicit; ut pro Dejotaro. *En crimen, en caussa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset*: vel dicenda tantummodo proponit, ut pro Flacco: *Venio ad Lysaniam ejusdem civitatis, peculiarem tuum, Deciane, testem.*

Alia rursum transitio est artificiosius elaborata; alia omnibus proposita, & aperta. Prima fere ad delectandum instituta laudationibus est vel in primis accommodata. Quamquam adhiberi etiam solet, quum ejus artificium quidquam in oratione auditu asperum lenire potest. Fit autem, quum ita concluduntur superiora, ut eorum conclusio in ea, quæ sequuntur, ne cogitantes quidem auditores traducat. Cicero pro Ligario, postquam mirabili artificio illud a reo crimen rejecit, quod de se ipso confessus est, sic transit ad accusatorem Tuberonem: *Atque hæc propterea de me dixi, ut mihi Tubero, quum de se eadem dicerem, ignosceret*. Pro Milone de Pompejo. *Multa etiam alia vidit; sed illud maxime, quamvis atrociter ipse tulisset, vos tamen fortiter judicaturos. itaque de-*

legit

legit e florentissimis ordinibus ipsa lumina. Atque ita sibi viam munit ad refutandum, quod objiciebatur de rejectis a Pompejo Ciceronis amicis in judicibus legendis. Idem pro Dejotaro: *Is igitur a te non modo periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus arguitur, domi te suae interficere voluisse: quod tu, nisi eum furiosissimum judicas, suspicari profecto non potes*.

Sed planioribus, & manifestis transitionibus plenæ sunt Ciceronis orationes. Sunt autem plures dicendi modi in transitionibus usitati, & elegantes. Ex una lubet oratione pro lege Manilia præcipuos decerpere, ac subjicere, qui facile ad alia revocari possunt -- *Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde hæc omnis caussa ducitur*. -- *Caussa, quæ sit, videtis; nunc quid agendum sit, considerate*. -- *Requiretur fortasse nunc* -- *Sinite hoc loco præterire me nostram calamitatem, quæ tanta fuit*. -- *Satis mihi multa verba fecisse videor, quare . . . restat, ut* -- *Ego enim sic existimo* -- *Quis igitur hoc homine scientior umquam aut fuit, aut esse debuit? qui* -- *Jam vero virtuti Cn. Pompei quæ potest par oratio inveniri?* -- *Atque hæc qua celeritate gesta sunt, quamquam videtis, tamen a me in dicendo prætereunda non sunt*. -- *Est hæc divina, atque incredibilis virtus; quid ceteræ, quas paullo ante commemorare cœperam, quantæ, atque quam multæ sunt?* -- *Ac primum quanta innocentia debent esse* -- *Age vero ceteris in rebus quali sit temperantia, considerate* -- *Jam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis esse dicuntur*. --

Jam quantum consilio, quantum dicendi gravitate, & copia valeat, vos Quirites, hoc ipso in loco saepe cognostis. -- Fidem vero ejus inter socios quantum existimari putatis? -- Humanitate jam tanta est -- Et quoniam auctoritas multum valet -- Quod igitur nomen umquam in orbe terrarum clarius fuit? -- Age vero illa res quantum declarat ejusdem hominis auctoritatem -- Reliquum est, ut de felicitate pauca dicamus. -- At enim ab hac oratione dissentiunt.

Ex his, aliisque exemplis, quae passim occurrunt, intelligetis, quae sunt magis usitatae in transitionibus particulae, conjunctionesque: cujusmodi sunt, *Jam*; *jam vero*; *age vero*; *quoniam*; *& quoniam*; *at enim*; *esto*; *at vero*; ac similes ferme nexus, & orationis gradus. Si quaeres verborum, seu sententiarum lumina, quibus transitiones illustrantur, non erit difficile plura omnis generis invenire.

Per interrogationem, vel cum aliquo incremento, ut in eadem pro lege Man. *Quid, quod salus sociorum summum in periculum, ac discrimen vocatur?* &. *Quid? ille ipse Mitridates non ne ad eumdem Cn. Pompejum legatum usque in Hispaniam misit?* vel instando, ut in Divin. *Quid illa, Caecili? commemoranda ne tibi videntur esse:* Et illa ad objurgandum. *Itane vero? Ita ne?*

Per contrapositum subjecta interrogatione sunt illa venustissima. Lib. III. in Verrem. *Privatim hoc modo: quid publice? Civitates quemadmodum tentatae sunt?* Et ad Fam. ep. x. l. III. *Atque haec domestica; quid illa tandem popularia?*

Dubitatione sibi aditum aperit ad alia lib. I. Act. II. in Verrem. *In plebem vero Romanam utrum*

utrum superbiam prius memorem, an credulitatem? Pro Sex. Roscio. *Quid primum querar, aut unde potissimum exordiar, judices? aut quod, aut a quibus auxilium petam?*

Vultis exclamationem? Est pluries in Catil. II. *O fortunatam Remp., si quidem hanc sentinam hujus urbis ejecerit!* & iterum. *Hunc vero si sui fuerint comites secuti, si ex urbe exierint desperatorum hominum flagitiosi greges; o nos beatos! o remp. fortunatam! o preclaram laudem consulatus mei!* Et in eadem. *O conditionem miseram non modo administrandæ, verum etiam conservandæ reipublicæ!*

Per Apostrophen, pro Sextio. *O Dii immortales, quemnam ostenditis exitum nobis! quam spem reip. datis? quotus quisque invenietur tanta virtute vir, qui optimam quamque caussam reip. amplectatur?*

Ironia, sive dissimulatio est Ciceroni in transitionibus frequentata. Pro Dejot, *At quam festive crimen contexitur?* & infra. *At quam acute collecta crimina?* Ibid. *At, credo, hæc homo inconsultus, & temerarius non videbat. Quis consideratior illo?* & in Verrem I. *At, credo, in hisce solis rebus indomitas cupiditates, atque effrenatas habebat: ceteræ libidines ejus ratione aliqua, aut modo continebantur.* In Divinat. *At enim solum id est, ut me Siculi maxime velint: alterum illud credo obscurum est, a quo Verres minime se accusari velit.* & lib. II. *At enim istum soli Siculi persequuntur; cives R., qui in Sicilia negotiantur, defendunt, diligunt, salvum esse cupiunt.* Nec alio spectant illi dicendi modi; *En cui tuos liberos committas*, & hujusmodi.

Oc-

Occupationibus sunt illa semper in promptu: *Dicet aliquis*; *Dicet forte quispiam*; *Requiretur fortasse nunc*; *At enim*; *at vero*; *atqui*, & similes adversantes particulæ. in confutationibus frequens est usus ejus transitionis: *Nam quod*. Sic pro Cœlio: *Nam quod de pietate dixistis. Nam quod est objectum, municipibus esse adolescentem non probatum suis -- Nam quod est objectum de pudicitia -- Nam quod Catilinæ familiaritas objecta Cœlio est -- Nam quod æs alienum objectum est*. Vide quam sæpe in una oratione, pulcherrima hercle, & elegantissima, uno eodemque transitionis modo utatur.

Præteritionem exhibent illa. *Nam quid ego illa de me divina senatus consulta commemorem?* & Pro Sextio. *Mitto eam legem*. In eadem. *Hic ego quid prædicem, quibus hic rebus consulem ad rem gerendam excitarit?* Pro Corn. Balbo. *Omittam igitur Pompejum jam oratione reliqua*. & pro Cœlio: *Sed hæc, quæ sunt oratoris propria... brevitatis caussa relinquo omnia*.

Correctionem habent nexus illi: *Sed quid ego populi R. animum, virtutemque commemoro?* pro Sextio. *Sed Cur diutius vos judices teneo?* pro Cœlio, & pro Mil. *Sed quid ego argumentor? quid plura disputo?*

Concessio est pro Dejotaro: *Esto concedatur hæc quoque acerbitatis, & odii magnitudo. adeone, ut etiam omnia vitæ, salutisque communis, atque etiam humanitatis jura violentur?* lib. V. in Verrem. *Verum esto; sit tibi illud liberum omne tempus, quod cum imperio fuisti, etiamne privatus?*

Sed quin plura proferamus, plena sunt his tran-

transitionum luminibus Ciceronis opera; ac mirum est, quanta varietate, & facilitate ex una in aliam sibi rem aperiat aditum. Lubet hic animadvertere, nonnumquam transitione ipsa paullo fusiori, ac diligentius elaborata oratorem videri aliquantulum a contentione respirare. Pro M. Cœlio. *Sed quoniam emersisse jam e vadis, & scopulos prætervecta videtur oratio mea; perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur.* Neque hic possum præterire, ipsas etiam transitiones interdum ad animorum commotionem adhiberi. Id plane constabit legenti perorationem Milonianæ orationis. Pro Sextio est illa insignis. *Sed me repente, judices, de fortissimorum, & clarissimorum civium dignitate, & gloria dicentem, & plura etiam dicere parantem horum aspectus in ipso cursu orationis repressit. Video P. Sextium*, etc.

De numero Oratorio.

CAP. XV.

N*Umerus oratorius est occulta quædam elocutionis harmonia ex apta verborum conjunctione, & consona dimensione proveniens.*

Ad hunc numerum efficiendum id maxime curandum est, ut verba inter se quam aptissime cohæreant, extrema cum primis; eaque sint quam suavissimis vocibus; utque forma ipsa, concinnitasque verborum conficiat orbem suum, seu concentum quemdam auri suavem in qualibet sententia, seu interspiratione; ac demum ut

ut quum perfecta circuitione (id est *periodo*, de qua infra) est opus, ea numerose, & apte cadat. Cujus rei quum judicium sit aurium, qua ratione is numerus efficiatur, & per varias interspirationes, seu sententias progrediens in exitu pleniori conquiescat, in prima Ciceronis *periodo* pro Sextio recognoscite. *Si quis antea, judices, mirabatur, -- quid esset, -- quod pro tantis opibus reipublicæ, -- tantaque dignitate imperii -- nequaquam satis multi cives -- forti, & magno animo invenirentur, -- qui auderent se; & salutem suam in discrimen offerre -- pro statu civitatis, & pro communi libertate: -- ex hoc tempore miretur potius, -- si quem bonum, -- & fortem civem viderit, -- quam si quem -- aut timidum -- aut sibi potius, quam reipublicæ consulentem* -- Hic nihil amplius desiderant aures completæ hac tanta suavitate, & gravitate.

In componendis, struendisque verbis cavendum, ne asper eorum concursus, neve hiulcus sit. Hiatum in oratione efficiunt vocales inter se crebro incidentes, ut *Baccæ æneæ amenissimæ impendebant:* asperitarem gignunt consonantes duriores frequentatæ, & concurrentes, tum voces ipsæ horridiores: hujus generis sunt illa Ennii: *O Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti*, & ejusdem poetæ: *Quidquam, quisquam, cuiquam, quod conveniat*.

Non debet certe hæc tam diligens, & minuta constructio apparere; sed tamen stylus exercitatus efficiet hanc viam componendi. In humili sane, & summisso dicendi genere, quo & epistolæ scribi solent, & Dialogi, quum imitari prope quotidianam loquendi consuetudinem

de-

debeamus, & naturam; operæ pretium erit negligere, verba verbis artificiosius coagmentare. Habet enim ille tamquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam hominis de re magis, quam de verbis solliciti. Id licet recognoscere in primis Epistolæ I. Tulii verbis ad P. Lentulum. *Ego omni officio, ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus; mihi ipse numquam satisfacio.*

Non ita quidem facile invenietis ullo in genere dicendi partem aliquam, quæ non leniter fluat, quæve sit auribus incondita, & ingrata: nisi forte de industria quandoque ad rem ipsam evidentius exprimendam aliquid hujusmodi non modo concedatur, verum etiam laudetur. Sic Virgilius ad operosum Cyclopum, & intentum laborem versu ipso subjiciendum: *Et leves ocreas lento ducunt argento.* Atque idem alia sæpe hoc modo. Non aliter censeo Ciceronem pro Milone dixisse: *Scutorum, gladiorum, frenorum, sparorum, pilorumque etiam multitudo deprehendi posse judicabatur.* Hæc enim asperius dicta interpretor ad festivius rejiciendum, quod Miloni objiciebatur de apparatu militari. Ceterum tanti refert, his numeris solutam orationem devincere; ut graves alioquin sententiæ, si verbis inconcinnis, & male cohærentibus efferantur, offendant aures, quarum est judicium superbissimum.

Sed qui poterimus hanc vim consequi numerose dicendi? Non est res tam difficilis, quam necessaria. Nihil enim est tam tenerum, tam flexibile, quodque tam facile sequatur quocun-

que ducas, quam oratio. Hanc enim ad nostrum arbitrium, & ad aurium voluptatem, sicut mollissimam ceram formamus, & fingimus. Aures autem naturalem quamdam in se continent vocum omnium mensionem. Itaque & longiora, & breviora judicant; & perfecta, ac moderata semper expectant: mutila sentiunt, & quasi decurtata; quibus, tamquam debito fraudentur, offenduntur: alia vero productiora, & quasi immoderatiús excurrentia; quæ etiam magis aspernantur aures: quod quum in plerisque, tum in hoc genere, quod est nimium, vehementius offendit, quam id, quod videtur parum.

Itaque si numerus orationis quæritur qui sit; est omnis; sed alius alio melior, atque aptior. si locus; in omni parte verborum. Si unde ortus sit, ex aurium voluptate. Si ad quam rem adhibeatur; ad delectationem. si quando; semper. si quo loco; in tota continuatione verborum. Si tandem de ratione hujus componendæ numerosæ orationis sit sermo; res quidem hæc esset in hac materia accuratius tractanda, quæ ad usum pertinet: sed quum vix aliquid certi præscribi possit in hac arte, cujus pendet ex auribus judicium; neque omnia præteribimus, neque multa subtilius pervestigabimus.

Primum itaque consequitur aliquando numerus ex naturali prope ordine verborum, quæ gratum auribus afferant sonum, ut apud Crassum. *Nam ubi lubido dominatur, innocentiæ leve præsidium est*. hujusmodi invenies apud Ciceronem plurima; sic in Cat. IV. *Quare P. C. incumbite ad reip. salutem, circumspicite omnes procellas, quæ impedent, nisi providetis*.

For-

Formæ etiam sunt quædam orationis, in quibus ea concinnitas inest, ut sequatur numerus necessario. Nam quum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur; aut quæ similiter cadunt, verba verbis comparantur; quidquid ita concluditur, plerumque fit, ut numerose cadat, etiamsi nihil est factum de industria. Hujus generis ea censentur a Tullio, pro Milone. *Est enim, judices hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, sed accepimus, non legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* -- Hæc talia sunt, ut quia referuntur ad ea, ad quæ debent referri, intelligamus non quæsitum esse numerum, sed secutum. Quo de genere illa etiam commemorat Cicero, quæ ipse adolescens pro Sextio Roscio Amer. dixerat in foro de supplicio parricidarum, quæque summis acclamationibus fuerunt ab auditoribus excepta. *Quid enim tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de cælo non queant; ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat; ita jactantur fluctibus, ut numquam alluantur; ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.* A contrariis sunt plurima. Illud adducit Cicero ex IV. accusationis. *Conferte hanc pacem cum illo bello, hujus prætoris adventum cum illius imperatoris victoria; hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto; hujus libidines cum illius continentia: ab illo qui cepit conditas; ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.*

Ce-

Ceterum in verbis, seu pedibus dimetiendis, componendisque plurimum nobis curæ ablatum est; quibus inter jambum, & choreum, & spondeum, sive trocheum quid intersit, non amplius aure dijudicamus, neque satis sono, & pronunciatione distinguimus: quum producendæ, sive corripiendæ vocalis extra verbi ad minus trium syllabarum compositionem ratio, & usus interciderit. Ergo omnia duarum syllabarum vocabula pronunciatione sunt modo æqualis mensuræ: longiora duplicem recipiunt sonum, isque micat præsertim in penultima syllaba; brevem celeremque, ut in dactylo, & hujusmodi; productum, tardumque ubi longa est penultima. Superest etiam nobis ad concentum, & numerum varia verborum mensura ex numero syllabarum proveniens.

Fluit omnino numerus tum incitatius brevitate pedum, tum proceritate tardus, cursum contentiones magis requirunt, expositiones rerum tarditatem. Nam sæpe ex celeritate vis accedit, ut pro Sextio. *An qui sua tecta defendit, qui ab aris, focis ferrum flammamque depellit, qui sibi licere vult tuto esse in foro, in templo, in curia; qui vitæ præsidium comparat, qui vulneribus, quæ cernit quotidie toto corpore, movetur, ut aliquo præsidio caput, & cervices, & jugulum, ac latera tuletur; hunc de vi accusandum putas?*

Ex tarditate gravitas quædam, & majestas nascitur orationis. Considerate initium III. in Catilinam. *Rempublicam, Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi*

im-

imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem, hodierno die, Deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus, consiliis, periculis meis ex flamma, atque ferro, ac pene ex faucibus fati ereptam, & vobis conservatam, ac restitutam videtis. Et in eadem. *Memoria vestra Quirites nostræ res alentur, sermonibus crescent, litterarum monumentis veterascent, & corroborabuntur.*

Sed, uti sentit Cicero, omnes in oratione sunt quasi permixti, & confusi pedes: nec enim effugere possemus animadversionem, si semper iisdem uteremur; quia neque numerosa ut poema, neque extra numerum, ut sermo vulgi esse debet oratio. Sit igitur, ut jam indicavi, permixta, & temperata numeris, nec dissoluta, nec aspera, nec semper æqualis oratio; ut etiam in ipsis numeris sit varia, & aures delectet magis sine ulla satietate.

Sumpta hæc, & eorum quæ sequentur plura ex lib. III. *de Orat. c.* XLIII. *usque ad* LII, *ex Orat. cap.* XLIX. *usque ad finem: ex* IV. *lib. Auct. ad Her. c.* XII.



De incisis, membris, & periodo.

CAP. XVI.

IN verborum junctura sonus inest, & suavitas quæritur; & ex apta continuatione concinnitas oritur dicendi. Sed licet hæc omnia ad numerosam pertineant orationem, attamen minus

nus proprie numeri dicuntur. Numerus ſiquidem efficitur ex diſtinctione, & ſæpe æqualium, ſæpe variorum intervallorum percuſſione. Hæc autem intervalla, ſeu interpuncta, quæ interſpirationis neceſſitate fuerunt inducta, ſic arte temperantur, & funduntur, ut aptos efficiant numeros. Nihil autem eſt tam cognatum mentibus noſtris, quam numeri, atque voces, quibus & excitamur, & incendimur, & lenimur, & langueſcimus, & ad hilaritatem, & ad triſtitiam ſæpe deducimur. De his modo intervallis, quæ inciſa, & membra dicuntur, ac de periodo, quæ ex his conſtruitur, quamq. circuitum, ſive ambitum, ſive comprehenſionem, aut circumſcriptionem vocant Latini, agendum eſt.

Inciſum eſt periodi pars minima, quæ neque ſententiam, neque ſententiæ partem terminat; ſed nomina, vel verba tantum diſtinguit, quæ aliquid differunt, ſeu quidpiam adjiciunt, conſtructioni minime neceſſarium. notatur autem parva lineola ad lævam ſcribentis in ſemicirculum inverſa, quam ideo etiam virgulam appellamus. Latini inciſum dicunt, quod Græcis eſt *comma*. Patet autem ejus ratio in ſequenti ſententia. *Vir igitur temperans, conſtans, ſine metu, ſine ægritudine, ſine alacritate ulla, ſine libidine . . .* Hæc omnia inciſa nihil abſolvunt, niſi addatur, quod ſequitur: *Nonne beatus?* Sunt autem interciſa: nam ſi conſtructionem ſpectes, etiam ſine illis, integram habebis: uti ſi diceret: *Vir igitur temperans nonne beatus?*

Membrum, ſi ad periodum referatur, eſt pars ejus inſignis, & continet integram conſtructionem, ſed minime completam ſententiam: dixi *ſi*

ad

ad periodum referatur. nam ſæpe etiam ita fertur membratim oratio, ut ſingulis membris abſoluta contineatur ſententia. Ceterum ego quidem exiſtimo, minus requiri ad membrum conſtituendum, quam paſſim explicetur. Nam Cicero, quem unum ſequor in arte dicendi, ea primum docet inciſim a C. Carbone dicta fuiſſe. *O Marce Druſe, patrem appello*: tum ea membratim, per duo ſcilicet membra, ternis pedibus ſingillatim conſtantia. *Tu dicere ſolebas, -- ſacram eſſe rempublicam*. Hæc autem uno membro diſtinguerent alii. Sed quum alias tamquam inciſa ſumi videantur, quæ licet exigua, ſuo tamen prædita ſunt ſenſu, ſuamque perficiunt conſtructionem; in his propterea diligentius perveſtigandis, diſtinguendiſque diutius non immorabimur.

Statuit Tullius, quæ inciſim, ſeu membratim efferuntur, aptiſſime cadere debere, quod eſt concinne, ac numeroſe. Ex ſe autem hoc profert exemplum: *Domus tibi deerat? At habebas. Pecunia ſuperabat? at agebas*. Atque hæc, ut inquit idem Cicero, inciſe dicta ſunt quatuor. Genus autem hoc orationis conciſæ optimum cenſetur, & vehemens, quo ſolemus in contentione binis, aut ternis ferire verbis, nonnumquam ſingulis, paullo alias pluribus.

De periodo oratoria ſupereſt ut loquamur, quæ ita poterit Ciceronis ſententiis definiri, ſeu deſcribi: *Periodus eſt oratio, quæ tamquam in orbe incluſa ita a capite, ſive a principio fluit, ut ad extremum veniens conſiſtat*. Dici etiam poterit *continuatio ſententiarum, ſive membrorum orationis per aptos ne-*

xus, quasi per nodos, qui in ambitu conjunguntur.

Si hujus ambitus, sive circumscriptionis partes requiris, sunt incisa, & membra. licet minime negaverim, perfectam etiam comprehensionem unico membro, & maxime pluribus incisis distincto, & explicato fieri posse; dum ejus verba ita currant a principio, ut aptum, & concinnum in exitum volvantur, & cadant. De periodis vero nunc ut loquamur, quæ pluribus constant membris. hæc tamquam partes uno in ambitu necti debent, & copulari. nexus autem hujusmodi, seu nodos efficiunt particulæ, quæ se se ita respiciunt, ut una alteram vocet; vel sunt ejus generis, ut suapte natura pendentem teneant sententiam, dum clausula sequatur extrema. Ex his fere nascitur numerus membrorum. Sic una suspensio duorum saltem membrorum periodum efficiet. Prima & facilior occurrit ex *relativo*: ut ajunt, & antecedenti, hoc modo. *Quare in qua urbe imperatores prope armati poetarum nomen, & Musarum delubra coluerunt; in ea non debent togati judices a Musarum honore, & poetarum salute abhorrere*. Si aliam addetis suspensionem, alia nectantur membra necesse erit.

Ne afferam plura, videte uno in ambitu uti ex repetitis nexibus, sive suspensionibus membra multiplicentur. *At si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat; cujus rei tanta est vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis, tamquam nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret: quo amore tandem inflammati esse debemus in ejusmodi*

modi patriam, quæ una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? jam quæ sint particulæ suspensionem inducentes, quæque ita se se respiciant, ut una expectet alteram, nemo non videt. Sunt certe plurimæ, ut, *Si, dum, quum: etsi*, vel *quamquam, tamen; tum, quum; quemadmodum, ita; primum, deinde; potius, quam; quo magis, eo magis*; & hujus generis plura, sive ab initio sententiam suspendentia, sive ad circumducendum ambitum inducta. Adhibetur aliquando ad membra conjungenda copulatio, *&, ac, que, atque, nec*. Sic pro M. Marcello. *Diuturni silentii, Patres conscripti, quo eram is temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit;* idemque *initium, quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more dicendi.*

Sunt autem clausulæ diligentius ad aurium delectationem conformandæ, quod in his maxime perfectio, & absolutio judicatur numerosæ orationis consistere. Prima enim pauci cernunt, postrema plerique: quæ quoniam apparent, & intelliguntur, varianda sunt; ne aut animorum judiciis repudientur, aut aurium satietate. Quamquam vero extremum semper aures exspectant, in eoque conquiescunt, atque ideo vacare illud numero non oportet; ad hunc tamen exitum a principio ferri debet verborum illa comprehensio, & tota a capite ita fluere, ut ad extremum veniens ibi considat. Quare debent in ipso circuitu verborum articulis, nexibusque ita hærere inter se membra, ut apte, numeroseque cadant. Unde aut paria esse de-

bent posteriora superioribus, extrema primis; aut, quod etiam est melius, & jucundius, longiora. Interdum autem cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio. Labitur oratio proclivius, quum pedes, sive verba in penultimam brevem desinunt, ut in dactylo contingit; tardius autem fertur, quum verba longam habent penultimam. Sunt itaque, uti jam supra demonstratum est, permiscendi pedes, celeres cum tardioribus, parvi cum proceris; ut conjunctione ipsa suavem, & temperatam efficiant orationem.

Si requiras, quo verbo præstet periodum absolvere; dicam longiora ferme probari; ita vero, ut nullius prope mensuræ vocabulum cogitari possit, quo non invenias plures claudi a Cicerone oratorias, & plenissimas circumscriptiones: quum artis ille peritissimus magister ita ducere verba sciat, & pedes componere, atque instruere, ut alias alia terminatione, sed auribus semper jucunda concludat. Dicoreus cadit præclare, sicuti & dispondeus, & alii plures; sed in orationis numero nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem. Imo ubi concinnius cadit numerus, ibi satietas est magis formidanda; quod afficiat, & hæreat magis.

Ut autem, quanta sit numeri vis etiam dum membratim fertur oratio, discatis, integrum afferam exemplum C. Carbonis, cujus jam supra initium adduximus *O M. Druse, patrem appello, tu dicere solebas sacram esse rempublicam: quicunque eam violavissent, ab omnibus esse ei pœnas persolutas: Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit.* Hoc dicoreo (narrat Tullius)

tan-

tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset. Quæro, nonne id numerus effecerit? Verborum ordinem immuta; fac sic: *Comprobavit filii temeritas.* jam nihil erit. At eadem verba: eadem sententia. Animo istuc satis est, auribus non satis. Sed id crebrius fieri non oportet. Primum enim numerus agnoscitur, deinde satiat; postea cognita facilitate contemnitur.

Cavendum itaque in numeris persequendis, ne verbum ita trajiciamus, ut id de industria factum esse intelligatur; neque verba inferciamus ad rimas quasi explendas; neque numero servientes inepte inania quædam verba inculcemus, quasi complementa numerorum; neque minutos numeros sequentes concidamus, delumbemusque sententias, neve sine ulla commutatione in eodem semper versemur genere numerorum.

Quantum autem sit apte dicere, experiri licet, si aut compositi oratoris bene structam collocationem dissolvas permutatione verborum; aut si alicujus inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam, eamque, ordine verborum paullum commutato, in quadrum redigas. Illic enim res tota dissipabitur; hic efficietur aptum illud, quod fuerat antea solutum. Sic illa sume in Corneliana. *Neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos, & Lælios multi venalicii, mercatoresque superarunt.* Immuta paullum, ut sit: *Multi superarunt mercatores, venaliciique*: perierit tota res. Et quæ sequuntur. *Neque vestis, aut cælatum aurum, & argentum, quo nostros veteres Marcellos, Maximosque multi Eunuchi e Syria, Ægyptoque vicerunt.* Ver-

ba permuta sic: *Vicerunt Eunuchi e Syria, Egyptoque*. Adde tertium: *Neque vero ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum, & L. Mummium, qui rebus his Urbem, Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video Deliaco, aut Syro potuisse superari*. Fac: *Ista potuisse superari ab aliquo Syro, aut Deliaco*. Videsne, ut ordine verborum paullum commutato, iisdem verbis, stante sententia, ad nihilum omnia recidant, quum sint ex aptis dissoluta? Age nunc, sume illud de Gracchi apud Censores oratione. *Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit probos improbare, qui improbos probet*. Quanto aptius si ita dixisset? *Quin ejusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare*.

Quæri hic etiam solet, quæ maxime probetur periodi mensura. Sed nihil certi neque præceptis, neque exemplis summorum auctorum definiri potest. Constat tamen ille ambitus, & plena comprehensio e quatuor fere partibus, quæ membra dicimus; ut & aures impleat, & ne brevior sit, quam satis sit, neque longior. Quamquam utrumque nonnumquam, vel potius sæpe accidit; ut aut citius insistendum sit, aut longius procedendum; ne brevitas defraudasse aures videatur, neve longitudo obtudisse. Sed habenda mediocritatis ratio. nec enim loquimur de versu; & est liberior aliquanto oratio. Neque tamen spiritu pronunciantis, sed numero coacta debet insistere, & post opportunas interspirationes conquiescere.

Superest ut videamus, quo loco uti oporteat hac per ambitus circumducta oratione. In eo quidem genere dicendi, quod est ad delectatio-

nem

nem comparatum, nemo qui aliquo ſit in numero, non ſtudebit, omnes fere in quadrum, numerumque redigere ſententias; ut tamquam in orbe incluſa currat oratio, quoad inſiſtat in ſingulis abſolutiſque ſententiis. Nam, quum is eſt auditor, qui non vereatur, ne compoſitæ orationis inſidiis ſua fides attentetur, gratiam quoque habet oratori, voluptati aurium ſervienti. Etſi vero genus hoc orationis non eſt neque ſemper, neque diu aſſumendum in judiciis, gravibuſque deliberationibus; non eſt tamen omnino repudiandum; imo adhibendum, ſi aut laudandum eſt aliquid ornatius, ut in Accuſationis ſecundo de Siciliæ laude dixit Cicero; aut ſi exponenda narratio, quæ plus dignitatis deſiderat, quam doloris, ut in quarto Accuſationis de Ennenſi Cerere, de Segeſtana Diana, de Syracuſarum ſitu dixiſſe ſe idem Tullius commemorat.

Hæc autem oratio fundens ſe uberius, & numeroſius per ambitus verborum, retinenda diu non eſt: ſed quum in iis locis ea ſumus uſi, in quibus licet transferenda tota dictio eſt; ad membra & inciſa: tum vero præſertim, quum refellimus, inſtamus, urgemus. Nam hæc dicendi ratio conciſa, & concitata valet plurimum ad obſidendum, & occupandum animum. Sed hæc ipſa, quæ cæſim, ac membratim efferuntur, comprehenſionibus longioribus ſunt ſuſtinenda. Lubet ſubiicere locum ex I. in Catil. *Quæ quum ita ſint, Catilina, perge, quo cœpiſti: egredere aliquando ex urbe: patent portæ: proficiſcere. Nimium diu te imperatorem illa tua Manliana caſtra deſiderant. Educ tecum etiam omnes*

omnes tuos: si minus quamplurimos: purga urbem. Magno me metu liberabis; dummodo inter me, atque te murus intersit. Hæc tamen ipsa declarant, & confirmant, quod idem docuit Cicero: Nihil tam numerosum esse debere, quam hoc, quod minime apparet: & quæ incisim, & membratim efferuntur, ea vel aptissime cadere oportere. Neque secus in aliis dicendi generibus, quæ numerosa gaudent oratione, occurrendum est satietati. Quamobrem nec ibi semper utendum est perpetuitate, & quasi conversione verborum; sed sæpe carpenda membris minutioribus oratio est: quæ tamen ipsa membra sunt numeris vincienda.

Ad orationem ita numeris vinciendam, & conformandam nihil planius conducet, nihil expeditius attenta Ciceronis lectione; cujus orationis suavitati, ac tam variis, aptisque numeris qui aures consuefecerit, repudiabit, quæ minus erunt concinna: atque ita imitatione, & animadversione brevius consequetur, quod præceptis comprehendi infinitum, ac magna ex parte supervacaneum esset. Neque vero hic censeo adscribendas esse varias clausulas Ciceronianas, pleniori quodam sono desinentes, auresque complentes suavissima jucunditate. Qui hoc etiam a nobis cuperet, quod ab aliis factitatum est; sumat præ manibus, quam velit, Tullii orationem, & quot in ea reperiet ambitus, & conclusiones sententiarum, tot inveniet clausulas aptissime concinnatas, & numerose cadentes.

Qua tandem ratione fiut simplices sententiæ dilatandæ, & in oratorias periodos sæpe conformandæ non puto hujus esse loci demonstrare;

re; quum id fine amplificatione fieri non poſſit; hæc autem ex locis oratoriis ſit depromenda, de quibus nihil haſtenus; nunc autem, quæ ſunt magis neceſſaria, tradituri ſumus.



DE

DE AMPLIFICATIONE PER LOCOS RHETORICOS

LIBER III.

Quid ſit amplificatio.

CAP. I.

AMplificatio eſt ornatus quidam orationis, tum ad illuſtrandum, & augendum, tum etiam ad extenuandum aliquid, & deprimendum: ſive eſt oratio, quæ verſat ſæpe multis modis eamdem, & unam rem, & hæret in eadem, commoraturque ſententia. Ac ille quidem ornatus, qui ſemper eſt in omni amplificatione, quoque res ipſæ in proprio, & micanti lumine collocantur, ac in eo proſpectu exhibentur, qui eſt rei, cauſſæque magis accommodatus, æquabiliter debet eſſe fuſus per totam orationem.

Conficitur amplificatio & verborum genere, & rerum. Atque ut hic de verbis, quatenus poſcere locus videtur, plura expediamus: verba ponenda ſunt, quæ vim habeant illuſtrandi, gravia, plena, ſonantia, quæ ab uſu non abhorreant, & valeant efficacius rem inculcare, & augere. Sed de toto hujuſmodi verborum delectu ſatis ea ſint, quæ in I. libro de Elocutionis elementis tradita fuerunt. Huc autem ea referamus, quæ non tam in ſingulis verbis, quam

quam in continentibus opportune adhibita non leve afferunt amplificationi momentum. Hujusmodi sunt ea, quæ soluta, seu sine conjunctione dicuntur, quæq. sunt Ciceroni usitatissima. Talia sunt illa in Divin. *Adsunt, queruntur Siculi universi: ad meam fidem, quam habent spectatam jam, & diu cognitam, confugiunt: auxilium sibi per me a vobis, atque a populo R. legibus petunt: me defensorem calamitatum suarum; me ultorem injuriarum; me cognitorem juris sui; me actorem caussæ totius esse voluerunt*. Sæpe in verbis singillatim, ut Epist. XIII. lib. VI. ad Fam. *Vidi, cognovi, interfui*. Pro Milone: *Quum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, extinxi*. Hæc ita soluta efficiunt, ut plura esse videantur. Accipite integram sententiam hac ratione amplificatam pro Sextio. *Hujus autem otiosæ dignitatis hæc fundamenta sunt, hæc membra, quæ tuenda principibus, & vel capitis periculo defendenda sunt, religiones, auspicia potestates magistratuum, senatus auctoritas, leges, mos majorum, judicia, jurisdictio, fides, provinciæ, socii, imperii laus, res militaris, ærarium*.

Augent etiam relata verba, iterata, duplicata. Verba inter se referuntur, quum se mutuo respiciunt, ac poscunt. De his dixi, ubi de numero oratorio; sed absit, ut parcam exemplis. Itaque clarissimum illud est in Miloniana: *Cur igitur victus est? quia non semper viator a latrone; nonnumquam etiam latro a viatore occiditur: quia quamquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros*. In Cat. I. *Neque enim, Catilina, is es, ut te aut* pu-

pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocarit. Iterata sunt illa, quæ plura incipiunt eadem voce, ut in Cat. II. *Intus insidiæ sunt, intus inclusum periculum, intus est hostis: cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum est*. Duplicata sunt illa pro Milone: *Occidi, occidi non Sp. Melium* etc. *Confiteretur, confiteretur, inquam, si fecisset* - *Excitate, excitate eum si potestis ab inferis*, & in fine: *Minime, minime inquit: immo vero pœnas ille debitas luerit, nos subeamus, si ita necesse est, non debitas*. Augendi vim habent maximam ea, quæ ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora. In Cat. I. *Num illi in cinere urbis, & sanguine civium, quæ mente scelerata, ac nefaria concupierunt, se consules, aut dicatores, aut etiam reges sperant futuros?* Sed hæc ipsa in figuris explicata repetitionis, & incrementi.

Ne singula persequar, quæ ad hanc amplificationem referri possunt: illud unum de verbis moneo, ut oratio sit iis vocibus expressa, quæ rem amplificatam magis ad vivum subjiciant, & affectum illum insinuent, ad quem est instituta amplificatio; ut in rebus miserandis luctum, in prosperis lætitiam præ se ferant. Quam illa pro Sex. Roscio miserabilia? *Etenim multa simul ante oculos versabantur, mors hominis florentissimi Sex. Roscii crudelissima; filii autem ejus egestas indignissima, cui de tanto patrimonio prædo iste nefarius, ne iter quidem ad sepulchrum patris reliquisset; bonorum emptio, flagitiosa possessio, furta, rapinæ, donationes*. Quam contrà sunt illa festiva pro Milone?

ne?

ne? *Græci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in urbibus Greciæ? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quæ carmina? prope ad immortalitatem, & religionem, & memoriam consecrantur.*

Qui sciat, & possit hac ratione per verba orationem amplificare, neque hoc genus amplificationis contemnendum censebit, neque minimam in eo ponet eloquentiæ laudem. Video hæc etiam exempla locis oratoriis magna ex parte instructa esse; ita vero, ut cultus verborum, & præscripta ratio amplificandi per indicatas figuras materiem aliquam suppeditent. Ceterum verbis subesse debent sententiæ. Quid est enim tam furiosum, quam verborum vel optimorum, atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia, nec scientia? Jam igitur alterius fontes amplificationis aperiamus, ex quibus manat omnis dicendi copia, rerum scilicet, & sententiarum ubertas.

De Amplif. ex Part. Or. cap. VII., VIII., & XVI. II. *de Orat.* XXXIV. III. XXVI. *Orat.* XXXVI.

De Locis.

CAP. II.

Loci sunt sedes argumentorum. Ita vero appellantur; nam sicut earum rerum, quæ absconditæ sunt, demonstrato, & notato loco, facilis inventio est: ita quum pervestigare argu-

gumentum aliquod volumus, locos noſſe debemus. In his enim locis, quos Rhetoricos, ſive oratorios appellamus, argumenta latent omnia, ſive rationes, quæ rei propoſitæ faciunt fidem; atque hinc omnis ducitur oratoria amplificatio.

Dividuntur in duo genera loci, atque alii ſunt in re ipſa *inſiti*, alii *aſſumpti*. *Inſiti* appellantur, qui hærent in ipſo, de quo agitur, atque ad ejus pertinent naturam; ut definitio, quæ illam explicat; partium enumeratio, quæ illam diſcernit. *Aſſumpti*, qui etiam *remoti* dicuntur, ſunt illi, qui exſtrinſecus colliguntur, ſeu foris aſſumuntur, ut teſtimonia, leges, aliorumque ſententiæ, quæ non inhærent in rei natura.

Inſiti ſexdecim enumerantur: Definitio, Notatio, Conjugata, Partium enumeratio, Genus, Species, Similitudo, Differentia, Contraria, Adjuncta, Antecedentia, Conſequentia, Repugnantia, Cauſſæ, Effectus, Comparatio. Aſſumpti, ſeu remoti ad auctoritatem referuntur, & omne genus teſtimonii complectuntur.

De Locis II. *de Orat.* XXXIX. *In Part. c.* II. *&* III. *In Topicis* II. *& rel.*

De Definitione.

CAP. III.

DEfinitio *eſt oratio explicans, quid illud ſit, quod definitur*. Eſt igitur definitio, quæ quaſi involutum evolvit id, de quo quæritur. Sed

Sed aliter ea dialectici utuntur, aliter oratores. Definitio siquidem dialectica genere continetur, & differentia: & genus illud dicitur, quod habet res definienda cum aliis commune; differentia vero ita est propria generis allati in definitione, ut alteri nequeat convenire. Atque ut jam trito utamur exemplo, hac definitione. *Homo est animal rationis particeps*, ubi animal est genus, quod est homini, & brutis animantibus commune; ratio est differentia, quæ distinguit hominem a ceteris animantibus. Verum hæc definitio ad hujus libri institutum nihil pertinet; & perquam puerile videri solet, de his dialectice ab oratore disputari. Paullo itaque uberius definitionem Oratoriam definiamus.

Oratoria definitio est earum rerum, quæ sunt ejus rei propriæ, quam definire volumus, brevis, & circumscripta quædam explicatio. Non itaque solam differentiam, sed omnes etiam rei definiendæ proprietates, quæ latissime patent, vestigare, enucleare, aperire hæc definitio poterit. Quamquam, ut sit definitio, debet esse brevis, & circumscripta explicatio; inter eos fines nimirum inclusa, quibus res ipsa perspici possit. Erit propterea hæc facultas in eo, quem eloquentem esse volumus, ut definire rem possit; neque id faciat tam presse, & anguste, quam inter doctos in eruditis disputationibus fieri solet; sed quum explanatius, tum etiam uberius, & ad commune judicium, popularemque intelligentiam accommodatius.

Argumenti per definitionem talis est formula; *Jus civile est æquitas constituta iis, qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas, ejus*

autem æquitatis utilis est cognitio. utilis est ergo juris civilis scientia. Sed hæc subtilius, quam oratorem deceat. Multo illa splendidiora, & ampliora, quæ sequuntur de Homine ex lib. de Legibus I.

Homo est *Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilii .... præclara quadam conditione generatum .... a supremo Deo. solum est enim ex tot animantium generibus, atque naturis particeps rationis, & cogitationis; quum cetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni cælo, atque terra ratione divinius?* Vides hic non ex genere solum, & differentia hominem definiri; verum etiam ab insignioribus animi proprietatibus, a Conditore munificentissimo, ab ipsius rationis præstantia.

Jam rationem disce definiendi uberrimam, & maxime oratoriam, per negationem nimirum, qua ponuntur ea in quibus minime res illa consistit, quæ definitur; & per affirmationem, quæ inducuntur ea, quæ rem constituunt. Hoc utitur modo sæpe Tullius; atque ita in Pisonem, ipsum non fuisse Consulem ostendit, negans in iis externis ornamentis, signisque Consulatum inesse, quæ jactare etiam ille poterat; atque in iis animi virtutibus affirmans inveniri, quibus Piso carebat. -- *Tu etiam mentionem facies Consulatus tui? aut te fuisse Romæ consulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, & prætexta esse consulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio, te consule, esse voluisti? Hujus tu Clodiani canis insignibus consulatum declarari putas? animo consulem esse oportet, consilio,*

filio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere consulatus.

Aliquando definitio per solam negationem effertur. Ita pro Sextio breviter circumscribit, ac definit Optimates: *Omnes Optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti.* Eadem ratione Beatos definit Tusc. qq. l. v. *Illi beati, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut maris igitur tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commovente; sic animi quietus, & placatus status cernitur, quum perturbatio nulla est, quæ moveri queat.* Vides hic quam pulchre definitio adjecta similitudine illustretur. Sæpe etiam hac indicata per translationem conficitur brevis, & elegans definitio; *ut qui adolescentiam florem ætatis, senectutem occasum vitæ velit definire.* Top. c. VII.

Hac utimur præsertim definitione, quum aliquid definiendum occurrit, quod humanæ mentis facultatem longissime excellit. Vide quam pulchre Cicero Divinum esse animum comprobet ex hoc ipso, quod nullum in creatis rebus ejus vestigium inveniatur. *Quid enim, obsecro te, terrane tibi, aut hoc nebuloso, & caliginoso cælo aut sata, aut concreta videtur tanta vis memoriæ? Si, quid sit hoc, non vides; at quale sit vides. si ne id quidem, at quantum sit, profecto vides. Quid igitur, utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo tamquam in aliquod vas ea, quæ meminimus, infundantur? absurdum id quidem. qui enim fundus,*

dus, aut quæ talis animi figura intelligi potest; aut quæ tanta omnino capacitas? an imprimi, quasi ceram, animum putamus, & memoriam esse signatarum rerum in mente vestigia? Quæ possunt verborum, quæ rerum ipsarum esse vestigia? quæ porro tam immensa magnitudo, quæ illa tam multa possit effingere? Quid illa vis, quæ tandem est, quæ investigat occulta, quæ inventio, atque excogitatio dicitur? ex hacne tibi terrena, mortalique natura, & caduca, & concreta ea videtur? Ita longius progreditur.

Ad amplificandum valent plurimum definitiones conglobatæ, quum scilicet plures, & pressæ definitiones ejusdem rei nectuntur. Hujus generis sunt illæ II. de Orat. *Historia vero testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis.* Pro Sextio: *Senatum reip. custodem, præsidem, propugnatorem collocaverunt.*

Quam illustrent orationem, & rem ipsam amplificent definitiones istæ nemo non videt: sed non ideo crebrius usurpandæ, nec longius protrahendæ, ne per easdem enervetur oratio, ac res ipsa in contemptum adducatur.

Neque dubitandum, quin ad definitionem traduci etiam possint alii loci; unde monet Tullius sæpe definiendum esse ex contrariis, sæpe etiam ex dissimilibus, sæpe ex paribus. Verum de his suo loco. Nunc quidem lubet aliqua subjicere, quæ ad usum pertinent amplificationis.

Primum igitur in principio omnis disputationis illud est explanandum, ac definiendum, de quo disputatur. Quamquam vero inter philosophorum eruditas disputationes res ipsæ pressius

per

per genus quidem, & earum proprietates definiantur; non ita hæc ratio æque probatur in oratore.

Itaque si quæratur, quæ sit ars imperatoris, videndum putarem principio, quis sit Imperator; qui quum fuerit constitutus administrator quidam belli gerendi, tum adjungemus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidiis faciendis, atque vitandis, de reliquis rebus, quæ essent propriæ belli administrandi; quarum qui essent animo, & scientia compotes, eos esse Imperatores dicerem: utererque exemplis Africanorum, & Maximorum: Epaminondam, atque Hannibalem, atque ejus generis homines nominarem.

Sæpe tamen oratores brevioribus utuntur definitionibus, quibus mirifice res illustrantur, ac distinguuntur; modo confirmantur, modo rejiciuntur, modo reprehenduntur. Pro Cœlio. *Sed aliud est maledicere, aliud accusare: accusatio crimen desiderat, rem, ut definiat, nomine ut notet, argumento probet, teste confirmet: Maledictio autem nihil habet propositi præter contumeliam, quæ si petulantius jactatur, convicium; si facetius, urbanitas nominatur.*

In Top. -- I. *de Orat. c.* XLII. XLIX. II. *de Or. c.* XXV. *Orat. c.* XXXIII. -- *Part. c.* XII.

De Notatione.

CAP. IV.

N*Otatio est vocabuli interpretatio*. Hanc Græci vocant *Etymologiam*, ideft verbum ex verbo, veriloquium. Cicero novitatem verbi fugiens non fatis apti, genus hoc notationem appellat, quia funt verba rerum notæ. Sed poftquam intelleximus, quid hoc loco fignificetur, non eft laborandum de nomine.

Multa ex notatione fumuntur, fcilicet ex vi nominis argumenta; ut, *Si conful eft, qui confulit patriæ, quid aliud fecit Opimius?* Tufc. qq. lib. III. *Frugalitas ut opinor a fruge, qua nihil melius e terra oritur, dicta eft*.

Neque putetis tam inopem effe hunc locum, ut hinc etiam fluere non poffit uberior dicendi copia tum ad vim, tum ad ornatum orationis. Cic. in Cat. Majore. *Neque enim ipforum conviviorum delectationes corporis voluptatibus magis, quam cœtibus amicorum, & fermonibus metiebar. Bene enim majores noftri accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt: melius quam Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant: ut, quod in eo genere minimum eft, id maxime probare videantur*.

Ex hac nominis interpretatione plura ducuntur vel ad irridendum feftivius, vel ad contemnendum acrius, vel ad reprehendendum alacrius. Sed cavendum ne, dum hifce nugis, & jocis aliorum movere rifum ftudemus, nos ipfi ni-

nimirum insulsi, & ridiculi videamur. Sunt ea non minus ingeniose, quam salse, & acerbe in Verrem dicta, quæ in II. Accusat. leguntur: attamen hæc ipsa callide refert Tullius tamquam ab aliis usurpata; eademque uti frigida videtur ipse comtemnere. *Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore; quorum alii, ut audistis, negabant, mirandum esse, jus tam nequem esse Verrinum*. Ubi tota vis ridiculi in æquivoca est verbi significatione. Jus enim ex Verrina carne, suis nimirum, quem etiam Verres significat, minime solet probari. Quo pertinent ea quæ sequuntur. *Alii etiam frigidiores erant, sed quia stomachabantur, ridiculi videbantur esse: quum sacerdotem execrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset*. non mactasset nimirum; ut mactari sus debet a sacerdote.

Illud facere lib. IV. in eumdem Verrem dicit: *Quod umquam hujusmodi everriculum ulla in provincia fuit?* Idem pro Sex. Roscio nomen Chrysogoni ludens interpretatur, ad ejus liberti avaritiam carpendam: *Venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni*.

Sed his parce, & summo judicio in oratione utendum, ut non modo urbani, verum etiam opportuni sint sales, jocique.

De Conjugatis.

CAP. V.

Conjugata, seu conjuncta dicuntur, quæ orta ab uno verbo varie commutantur, ut sapiens,

piens, ſapienter, ſapientia. Sunt hæc finitima notationi. Ex hoc autem loco ita licet argumentari: *Si compaſcuus ager eſt, jus eſt compaſcere:* vel, *Si pietati ſumma tribuenda laus eſt, debetis moveri, quum Q. Metellum tam pie lugere videatis.*

Neque alio ſunt referenda, quæ habentur Parad. II. ad convicendum, bona non eſſe, quæ vulgo exiſtimantur. *Poteſt enim bonum cuiquam malo eſſe? aut poteſt quiſquam in abundantia bonorum ipſe eſſe non bonus? Atqui iſta omnia talia videmus, ut & improbi habeant, & obſint probis.*

Ad luſum etiam traducuntur, maxime in æquivocis, conjugata, ut Act. II. in Verrem. *Quæ iſte quum cognoviſſet novus aſtrologus, qui non tam cæli rationem, quam cælati argenti duceret, eximi jubet, non diem ex menſe, ſed ex anno unum, dimidiatumque menſem.* Ubi conſuetudo Siculorum eximendi diem unum, vel biduum ex menſe, & Verris facinus luſum efficiunt ſatis facetum; frigidum alioquin futurum extra id loci, & temporis. In quam cenſuram ne imprudentes incidamus, ac ne quidquam ſcurrile admittamus, ſatius erit hiſce luſibus verborum abſtinere, aut iis certe minime ſtudere; quum tum ſint magis inſulſi, & minus elegantes, quum ſtudium ſapiunt, & laborem.

De Partium enumeratione.

CAP. VI.

PArtium enumeratio eſt rei in ſuas partes diſtributio. quæ argumentando tractatur hoc mo-

modo. *Aut Senatui parendum de salute reip. fuit; aut alud consilium instituendum; aut sua sponte faciendum. Aliud consilium superbum; suum arrogans; utendum igitur fuit consilio senatus*. Verum de hac argumentandi ratione uberius suo loco.

Sub hac enumeratione distinguendam censet Tullius partitionem a divisione. Partitionem vult esse, quum aliquod totum in suas partes, quasi in membra discerpitur: ut si quis corpus hominis in caput, humeros, latera, manus, crura, pedes partiatur. Divisionem ponit, quum genus in suas species, seu formas dividitur, ut jus in leges, Senatusconsulta, edicta magistratuum, resque judicatas. Verum etsi differunt partitio, & divisio; in usu tamen oratorio vix attenditur hæc differentia; & vocabula ipsa idem prope videntur importare. Itaque partes hic intelligamus, quæ aliquod totum dividunt, sive hoc sit corpus, sive sit genus. Sic vitæ partes sunt infantia, pueritia, adolescentia, juventus, senectus. Affectiones animorum sunt sive species, sive formæ, sive ideæ, lætitia, cupiditas, metus, angor, molestia.

Frequentissimus est in amplificationibus enumerationis usus, quæ plurimum valet ad res ipsas aperiendas, quæ in toto, sive in genere involutæ vix ullam adhibere animis vim possunt. Certe si Orat. IV. in Cat. dixisset Cicero: Patria communis se vobis commendat P. C.; in animos minus penetrasset: sed vide quantum hæc ipsa sententia roboris acquirat, ab eodem illustrata, ac præsertim a partium enumeratione. *Obsessa facibus, & telis impiæ conjurationis,*

nis, vobis supplex manus tendit Patria communis: vobis se, vobis vitam omnium civium, vobis arcem, & capitolium, vobis aras, penates; vobis illum ignem Vestæ perpetuum, ac sempiternum, vobis omnia templa Deorum, atque delubra, vobis muros, atque orbis tecta commendat. præterea de vestra vita, de conjugum vestrarum, ac liberorum anima, de fortunis omnium, de sedibus, de focis vestris hodierno die vobis judicandum est.

De Genere, & Specie.

CAP. VII.

Genus est notio ad plures differentias pertinens: sive illud est, quod plures partes amplectitur. Species, seu pars, est, quæ subest generi. Sunt igitur formæ, seu species, ac differentiæ, in quas genus dividitur. Sic animal est genus; equus, leo, canis, & animantia cetera sunt species, seu formæ, seu partes. Sed latius hic sumitur a nobis genus, quam a Dialecticis. quidquid enim de pluribus dici potest, sive specie, sive numero differentibus, genus appellamus. Ex genere sic possumus argumentari. *Si magistratus in populi Romani potestate esse debent, quid accusas eum, cujus tribunatus voluntati paruit civitatis?* vel: *Quoniam argentum omne mulieri legatum est, non potest ea pecunia, quæ numerata domi relicta est, non esse legata. Forma enim a genere quoad suum nomen retinet, numquam sejungitur. Numerata autem*

pe-

pecunia nomen argenti retinet; legata igitur videtur. Ex parte autem, quæ subjecta generi est, sic duci potest argumentum. *Si omnes qui reip. consulunt cari nobis esse debent, certe in primis imperatores, quorum consiliis, virtute, periculis retinemus & propriam salutem, & imperii dignitatem*.

Sunt maxime affines hi duo loci inter se. Tum vero dicimus ex genere duci argumentum, sive amplificationem, quum de specie sive de parte disputantes ad genus confugimus: Ex forma, sive specie ducitur, aut parte, quum sermo est de genere, & nos in partes dilabimur.

Is autem locus tam est oratorius; ut censeat Cicero id excellentis esse oratoris, quod venit in controversiam de parte, seu quod de specie differendum est, scire ad suum genus referre. Latius enim de genere, quam de parte disputare licet; ut quod in universo sit probatum, id in parte sit probari necesse. Sed hac de re in Rhetoricis institutionibus redibit sermo. Nunc satis erit hanc artem in aliquibus exemplis animadvertere. Ex Orat. cap. XIV.

Defendit Milonem Cicero Clodianæ necis reum, quod Clodium interfecerit Milo insidiantem vitæ suæ. Ad id probandum genus inducit hac ratione. *Insidiatori vero, ac latroni, quæ potest afferri injusta nex? Quid comitatus nostri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est enim hæc, judices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti,*

sed

sed imbuti sumus; ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Silent enim leges inter arma, nec se exspectari jubent, quum ei, qui exspectare velit, ante injusta pœna luenda sit, quam justa repetenda. & si persapienter, & quodam modo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi, quæ non modo hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi caussa vetat; ut quum caussa non telum quæreretur; qui sui defendendi caussa telo esset usus, non hominis occidendi caussa, habuisse telum judicaretur. Quapropter hoc maneat in caussa, judices. non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam: si memineritis, quod oblivisci non potestis, insidiatorem jure interfici posse.

Pro Archia Poeta sic agit, ut ejusdem artem laudaturus præmittat commendationem a genere omnium humaniorum litterarum. *Nam ceteræ* (remissiones animi) *neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum: hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant; secundas res ornant; adversis perfugium, ac solatium præbent: delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quod si ipsi hæc neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus; tamen ea mirari deberemus, etiam, quum in aliis videremus.* Deinde ad Archiam iis studiis præstantem ita descendit per comparationem. *Quis nostrum tam animo agresti, ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui, quum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem,*

tem, ac venuſtatem videbatur omnino mori non debuiſſe. Ergo ille corporis motu tantum amorem ſibi conciliarat a nobis omnibus; nos animorum incredibiles motus, celeritatemque ingeniorum negligemus? Quoties ego hunc Archiam vidi, judices (utar enim veſtra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, quum litteram ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimornm verſuum de iis ipſis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties revocatum eamdem rem dicere commutatis verbis, atque ſententiis? quæ vero accurate, cogitateque ſcripſiſſet, ea ſic vidi probari, ut ad veterum ſcriptorum laudem, pervenirent, hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem?

Sed hanc amplificandi rationem fere perpetuam in Cicerone obſervabis; ejuſque diſces uberrimis exemplis, quantum hinc copiæ, & ornatus accedat orationi.

Sæpe ut genus probetur, illud in ſuas partes diſtribui oportet; & de ſingulis demonſtrari, quod de genere contendimus. Omnes cupidos eſſe ſervos docet Cicero Parad. v. Vide quam pulchre in ſingulares cupiditates ſibi aditum aperiat, ac de ſingulis propoſitum ſuum confirmet. *An eorum ſervitus dubia eſt, qui cupiditate peculii nullam conditionem recuſant duriſſimæ ſervitutis? Hæreditatis ſpes quid iniquitatis in ſerviendo non ſuſcipit? quem nutum locupletis orbi ſenis non obſervat? loquitur ad voluntatem: quidquid denuntiatum ſit, facit; aſſentatur, aſſidet, miratur. quid horum eſt liberi?*

quid

quid denique non servi inertis? Quid jam illa cupiditas, quæ videtur esse liberior, honoris, imperii, provinciarum, quam dura est domina? quam imperiosa? quam vehemens? Cethego homini non probatissimo servire coegit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur; mittere munera; noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare. Quæ servitus est, si hæc libertas existimari potest? Quid? quum cupiditatum dominatus excessit, & alius est dominus exortus, ex conscientia peccatorum timor: quam est illa misera, quam dura servitus? adolescentibus paullo loquacioribus est serviendum. omnes, qui aliquid scire videntur, tamquam Domini timentur. Judex vero quantum habet dominatum? quo timore nocentes afficit? An non est omnis metus servitus?

De loco a simili.

CAP. VIII.

SImilitudo est diversarum rerum collatio in eo, quod habent simile inter se. ut si dicas. *Si feræ partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus?* vel Epis. XVI. lib. IX. ad Famil. *Non facile dijudicatur amor verus, & fictus, nisi aliquod incidat ejusmodi tempus, ut, quasi aurum igne, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit.*

Duplex est similitudinis ratio, altera dicitur perfecta, altera imperfecta. Prima duas habet partes, quarum prima est propositio, & præfert eas particulas, *sicut*, *quemadmodum*, *quasi*, *ut*, *tam-*

tamquam, & ſimiles. altera vocatur reditio, & diſtingui ſolet illis notis rem aſſumptam rei explicandæ, ſive probandæ aptantibus, *ita*, *ſic*, *non aliter*, *non ſecus*, & hujuſmodi. Imperfecta dicitur, quæ his caret particulis, vel penitus expreſſam non habet utramque partem. Utriuſque ſimilitudinis exemplum habes jam traditum; ſed lubet exemplorum copiam afferre.

Perfecta eſt illa Phil. II. *Sed nimirum, ut quidam morbo aliquo, & ſenſus ſtupore ſuavitatem cibi non ſentiunt; ſic libidinoſi, avari, facinoroſi veræ laudis guſtum non habent.* Imperfecta eſt quæ legitur Phil. VIII. *In corpore ſi quid ejuſmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, id uri, ſecarique patimur, ut aliquid membrorum potius, quam totum corpus intereat. Sic in reip. corpore, ut totum ſalvum ſit, quidquid eſt peſtiferum amputetur.*

Maxime valent ſimilitudines ad res illuſtrandas, ac prope ſubjiciendas oculis; neque ſolum ad ornatum, & lumen, verum etiam aliquando ad vim, & fidem faciendam. Sed cavendum ab illorum levitate, qui præcipuum ſtudium ornandæ orationis in hoc impendunt, ut elegantes inveniant, & elaborent ſimilitudines; ac plerumque ex iiſdem rebus jam protritis deſumptas, quibus totum repleant, & inferciant ſermonem. Non tam crebro inducit Cicero in orationem ſimilitudines; ſed numquam non aptiſſimas; ac tum præſertim, quum vix aliter res poteſt explicari. Jam vero in exemplis, quæ ſum allaturus licebit animadvertere, uti nunc breviter efferantur, nunc uberius explicatæ, nunc etiam cultu ornatæ exquiſitiſſimo.

Quid

Quid brevius illa de Sex. Clodio? *Quo ex judicio, velut incendio, nudus aufugit*. Pro Sex. Roscio. *Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis; sic non omne facinus in omni vita nascitur*.

Ad illustrandum est illa ornatior, quæ legitur Phil. IV. *Faciam igitur, ut imperatores instructa acie solent, quamquam paratissimos milites ad præliandum videant, ut eos tamen adhortentur: sic ego vos ardentes, & erectos ad libertatem recuperandam cohortabor*.

Ad ornatum est pulcherrima, ad rem vero declarandam, quæ incredibilis videri poterat, aptissima, quæ legitur pro Sextio. *Sed ita est, judices, ut si gladium parvo puero, aut si imbecillo seni, aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat; sin ad nudum vel fortissimi viri corpus accesserit, possit acie ipsa, & ferri viribus vulnerare: ita quum hominibus enervatis, atque exanguibus consulatus tamquam gladius esset datus, qui per se pungere neminem umquam potuissent; hi summi imperii nomine armati remp. contrucidaverunt*.

Aliud genus similitudinis est, quæ Latine Inductio nominatur. Est autem, quæ ex pluribus collationibus pervenit, quo vult, hac ratione. *Si tutor fidem præstare debet, si socius, si cui mandaris, si qui fiduciam acceperit; debet etiam procurator*. Hac ratione argumentandi usus est plurimum Socrates in sermonibus; sed nunc quærimus amplificandi rationem. Plurimæ leguntur ornatissimæ hujusmodi inductiones apud Tullium.

In Catone Majore. *Itaque adolescentes mori*

sic

sic mihi videntur, ut quum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur; senes autem sic, ut sua sponte nulla adhibita vi consumptus ignis extinguitur; & quasi poma ex arboribus si cruda sunt, vi avelluntur; si matura, & cocta decidunt; sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.

Tusc. qq. lib. II. Turpissimum esse philosophum, eam vitæ disciplinam moribus non tenere, quam oratione profitetur, sic ostendit. *Ut enim, si Grammaticum se professus quispiam barbare loquatur, aut si absurda canat is, qui se haberi velit musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet, cujus profitetur scientiam; sic philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quod in officio, cujus magister esse vult, labitur; artemque vitæ professus delinquit in vita.*

Certe quum ad rem illustrandam, vel confirmandam inducantur similitudines, nemo non videt, ex rebus cognitis, & eis, qui audiunt exploratis, eas sumi oportere.

De Exemplo, & Fictione.

CAP. IX.

Ex eodem similitudinis loco etiam exempla sumuntur; unde lubet hæc modo subjicere.

Exemplum est, quod rem auctoritate, aut casu alicujus hominis, aut negotii confirmat, aut infirmat: Seu ut habet Auctor ad Herenn. *Exem-*

plum est alicujus facti, aut dicti præteriti cum certi auctoris nomine propositio.

In Cat. I. confirmat Cicero ad mortem duci jussu Consulis oportuisse Catilinam sic: *An vero vir amplissimus P. Scipio, Pontifex maximus, Ti. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reip. privatus interfecit: Catilinam orbem terræ cæde, atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus?*

Argumentum infirmat adversariorum pro Milone: *Negant intueri lucem fas esse ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii: qui nondum libera civitate, tamen Populi Romani comitiis liberatus est, quum sua manu sororem interfectam esse fateretur.*

Ne hic plura subjiciam præcepta de ratione facti, quum est opus, amplificandi, exempla suppeditabo, ex quibus facile discetis, ea pulchre ornari, quæ magis apta sunt; & ea fusius describi in exemplis, in quibus inest vis major. Quod quum possim in eodem exemplo semel atque iterum a Cicerone inducto præstare; nihil quæro amplius.

Legitur id primum post Red. ad Quirites. *Vidi ego fortissimum virum municipem meum, C. Marium, quoniam nobis, quasi aliqua fatali necessitate, non solum cum iis, qui hæc delere voluissent, sed etiam cum fortuna belligerandum fuit; eum tamen vidi, quum esset summa senectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato, atque renovato. quem egomet dicere audivi, tum se fuis-*

fuisse miserum, quum careret patria, quam obsidione liberavisset, quum sua bona possideri ab inimicis, ac diripi audiret; quum adolescentem filium videret ejusdem socium calamitatis; quum in paludibus demersus, concursu, ac misericordia Minturniensium corpus, ac vitam suam conservasset; quum parva navicula trajectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops, supplexque venisset: recuperata vero sua dignitate, se non commissurum, ut, quum ea, quæ amiserat, sibi restituta essent, virtutem animi non haberet, quam nunquam perdidisset. Sed hoc inter me, atque illum interest; quod ille, qua re plurimum potuit, ea ipsa re inimicos suos ultus est, armis: ego, qua consuevi, utar pietate: quoniam illi arti in bello, ac seditione locus est; huic in pace, atque otio; quodque ille animo irato nihil, nisi de inimicis ulciscendis agebat; ego de ipsis inimicis tantum, quantum mihi resp. permittet, cogitabo.

Videte nunc idem sibi propositum exemplum pro Sextio, brevius quidem descriptum, sed nihilo minus eleganter expressum, & apte elaboratum. *Memineram, judices, divinum illum virum, atque iisdem, quibus nos, radicibus natum ad salutem imperii hujus, C. Marium, summa senectute, quum prope vim justorum armorum profugisset, primo senile corpus paludibus occultasse demersum, deinde ad infirmorum, ac tenuissimorum hominum Minturnis misericordiam confugisse, inde navigio perparvo, quum omnes portus, terrasque fugeret, in oras Africæ desertissimas pervenisse; atque ille vitam suam, ne inultus esset, ad incertissimam spem, & ad reip.*

 sta-

statum reservavit: ego, qui (quemadmodum multi in Senatu me absente dixerunt) periculo reip. vivebam; quique ob eam caussam consularibus litteris de senatus sententia exteris nationibus commendabar, nonne, si meam vitam deservissem, remp. prodidissem?

Pro L. Murena probat in summis viris etiam Stoicæ disciplinæ addictis fuisse comitatem quamdam, non solum exemplo, sed exemplorum inductione. Nam ut in similibus, ita etiam in exemplis plurimum valet inductio. Catonem sic alloquitur. *Hujusmodi Scipio ille fuit, quem non pœnitebat facere idem, quod tu, habere eruditissimum hominem, & pene divinum* (Stoicum Panætium) *domi; cujus oratione, & præceptis, quamquam erant eadem ista, quæ te delectant, tamen asperior non est factus; sed, ut accepi a senibus, lenissimus. quis vero C. Lælio comior? quis jucundior eodem ex studio isto? quis illo gravior? sapientior? Possum de L. Philippo, de C. Gallo dicere hæc eadem: sed te domum jam deducam tuam. quemquam ne existimas Catone proavo tuo commodiorem, comiorem, moderatiorem fuisse ad omnem rationem humanitatis? de cujus præstanti virtute quum vere, graviterque diceres, domesticum te habere dixisti exemplum ad imitandum. Est illud quidem exemplum tibi propositum domi: sed tamen naturæ similitudo illius ad te magis, qui ab illo ortus es, quam ad unumquemque nostrum pervenire potuit: ad imitandum vero tam mihi propositum exemplar illud est, quam tibi. Sed si illius comitatem, & facilitatem tuæ gravitati, severitatique adsperseris; non ista quidem erunt meliora, quæ*

nunc

nunc sunt optima, sed certe condita jucundius.

Sed exemplorum mentio facienda rursum erit, ubi de Argumentationibus. Illud modo animadvertendum censeo, nihil in exemplis usurpandum, de cujus fidè jure possit dubitari. Unde ex iis præsertim sumenda sunt scriptoribus, quorum est apud omnes auctoritas gravissima. Habet autem, ut in ætatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas. Quæ autem ex patria, & eorum majoribus, sive gente promuntur, qui audiunt, solent esse magis grata, & jucunda. Sed diligentissime cavendum semper est, ne ficta pro veris, & fabulas pro exemplis venditemus. Quamquam & fictio in usum sæpe venit oratorium, sed ea ratione, quam modo tradituri sumus.

Fictio, quam Græci *Hypothesim* appellant, *est fictum exemplum cum expressa conditione, qua posita quæritur, quid auditores in re ficta censerent vel futurum, vel deliberandum; ut ex similitudine idem constituant in re vera, de qua est controversia.* Hæc etiam ficta exempla similitudinis vim habent; atque huc videntur pertinere. Valent autem plurimum ad res tum explicandas, tum suadendas.

Cicero in Cat. 1. *Si te parentes timerent, atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses, ut opinor ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria, quæ communis est omnium nostrum parens, odit, ac metuit, & jamdiu te nihil judicat, nisi de parricidio suo cogitare: hujus tu neque auctoritatem verebere, neque judicium sequere, neque vim pertimesces?* In hoc genere oratoribus concessum est, ut mu-

muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, aut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendæ rei gratia dicatur, aut minuendæ, quæ hyperbole dicitur, & multa mirabilia alia. Recognosce, quæ sub Prosopopæja induximus, exempla. Si cupis alia; hæc habeto.

Est illud insigne pro Milone. *Fingite animis: liberæ enim sunt cogitationes nostræ, & quæ volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quæ videmus: fingite igitur cogitatione imaginem hujus conditionis meæ: si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit. Quid vultu extimuistis? quonam modo ille vos vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percussit?* Nec multo post: *Quid? si ipse Cn. Pompejus, qui ea virtute, & fortuna est, ut ea potuerit semper, quæ nemo præter illum, si is, inquam, potuisset, ut quæstionem de morte P. Clodii ferre, sic ipsum ab inferis excitare: num putatis facturum fuisse? etc.*

De Dissimilitudine, seu Differentia.

CAP. X.

Dissimilitudo, seu differentia est rerum diversarum dissimilis affectio; sive collatio est illarum proprietatum, quibus duo, vel plura differunt inter se; hoc modo: *Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent*. Is quidem locus est maxime contrarius superiori; sed est ejusdem dissimile, & simile invenire; atque utroque in ge-

genere, & similitudinis, & dissimilitudinis exempla sunt ex aliorum factis, aut eventis, & fictæ narrationes sæpe ponendæ. Hinc ducitur argumentum hac ratione. *Non, si uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset, idcirco, quæ in nominibus fuerunt, legata sunt: multum enim differt, in arcane positum sit argentum, an in tabulis debeatur*. Sed extra vim strictæ argumentationis.

Pulcherrima est Ciceronis pro L. Murena per dissimilia comparatio: *Sed ut, hoc omisso, ad studiorum, atque artium contentionem revertamur, qui potest dubitari, quin ad consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis rei militaris, quam juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas; ille, ut, quo intendit, mature cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum bucinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis; ille aciem instruit. Tu caves, ne tui consultores, ille ne urbes, aut castra capiantur. Ille tenet, & scit, ut hostium copiæ; tu ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus; tu in regendis*.

Sed quantæ sit ubertatis is locus plane constabit eloquentiæ studiosis legentibus orationem post Red. ad Quirites, ubi hunc suum reditum comparat Cicero cum reditu ejusdem Q. Metelli, tum P. Popilii, & C. Marii: *Non enim pro meo reditu, ut pro P. Popilii. etc.* Quem reditum rursum describit per dissimilia, sed brevius in fine orationis in Senatu.

Ad hunc locum pertinent frequentes, & elegantes illi modi, qui leguntur apud Ciceronem:

nem: ut in Divin. *Ac vide quantum interfuturum sit inter meam, atque tuam accusationem. Ego etiam, quæ tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum, quod te non prohibuerit; quum summam ipse haberet potestatem: tu contra ne quæ ille quidem fecit, obiicies; ne qua ex parte conjunctus cum eo reperiare.*

De Contrariis.

CAP. XI.

Contrariorum genera sunt plura, sed quatuor præcipua numerantur. *Adversa* quæ in eodem genere plurimum differunt; ut sapientia, & stultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propositis occurrunt tamquam e regione quædam contraria, ut celeritati tarditas, non debilitas: ex quibus contrariis argumenta talia existunt. *Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur; & bonitatem, si malitiam.* Sunt etiam *Privantia*; quorum unum significat alicujus rei habitum, alterum ejus privationem. Id fere de iis intelligitur, quorum alteri *in* præpositio adjicitur: privat enim hæc præpositio verbum ea vi, quam haberet, si in præpositum non fuisset: ut *dignitas indignitas; humanitas inhumanitas; valetudo invaletudo*. Sed minime dubitandum, quin ejusdem generis contraria sint habenda, quæ pari ratione etiam sine *in* opponuntur, ut *lux*, & *tenebræ*. Ad hoc autem genus referri possunt, quæ habentur de Senect. *Moderati enim, nec difficiles senes, nec in-*

inhumani tolerabilem agunt senectutem: importunitas autem, & inhumanitas omni ætati molesta est.

Aliud est contrariorum genus, eorum, quæ cum aliquo conferuntur, ut *duplum simplum; multa pauca; longum breve: majus minus.* Pro Murena. *Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.*

Quartum genus efficiunt contrariorum negantia, seu contradicentia: quum ex re affirmata colligitur, quod ei opponitur, esse non posse. *Si hoc est, illud non est.* Sic. 1. Tusc. qq. ex opinione auditoris, qui contendebat mortuos non esse, probat nec esse miseros, contra quam auditor sentiebat, qui putabat mortuos, quia non sunt, quum fuerint, miseros esse. Ita respondet Tullius. *Pugnantia te loqui non vides? quid enim tam pugnat, quam non modo miserum, sed omnino quicquam esse, qui non sit?*

Verum nihil opus est singulis generibus exempla subjicere. Satis enim est intelligere contrariis omnibus contraria non posse convenire. Quocunque enim ex capite contrariorum ducatur sive argumentum, sive amplificatio, dicitur a contrariis. Sed de argumentis ex hoc loco desumptis agemus in alia parte: nunc de amplificatione tractabimus, quæ, uti supra declaratum est, solet esse maxime concinna, & numerosa.

Ex hoc loco præclarissima est Catilinæ descriptio pro M. Cœlio. *Habuit enim ille, sicuti meminisse vos arbitror, permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum, utebatur hominibus improbis multis, & quidem*

opti-

optimis se viris deditum esse simulabat. erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam industriæ quidam stimuli, ac laboris. flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam studia rei militaris. neque ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis, diversisque, inter se pugnantibus naturæ studiis, cupiditatibusque conflatum. quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hostis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior?

A contrariis ducta est pariter Verris cum M. Marcello ornatissima comparatio Act. IV. Particulam ejus jam supra retulimus, ubi de numero oratorio. Plura sequuntur ex eodem loco, quæ eandem legenti orationem plane constabunt.

De Adjunctis.

CAP. XII.

ADjuncta, *quæ etiam conjuncta dicuntur, sunt quæ ita rebus adhærent, ut etiam sine illis res ipsæ constare potuissent;* ut pallor vultus, corporis imbecillitas, & hujusmodi.

Valet hic locus præsertim ad conjecturales caussas, quum quæritur, quid aut sit, aut evenerit, aut futurum sit, aut quid omnino fieri possit. Ad tria genera referuntur a Cicerone adjuncta; ac per ea quærendum ipse censet,

quid

quid ante rem, quid cum re, quid post rem evenerit.

Ante rem enim quæruntur, quæ talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum convivium. Cic. pro Mil. *Res loquitur, judices, ipsa, quæ semper valet plurimum. Si hæc non gesta audiretis, sed picta videretis; tamen appareret, uter esset insidiator; uter nihil cogitaret mali; quum alter veheretur in rheda penulatus; una sederet uxor; quid horum non impeditissimum? vestitus? an vehiculum? an comes? quid minus promptum ad pugnam; quum penula irretitus, rheda impeditus, uxore pene constrictus esset. Videte nunc illum primum egredientem e villa subito. cur vesperi? quid necesse est tarde? quid convenit, præsertim id temporis?*

Cum re autem, pedum crepitus, strepitus hominum, corporum umbræ, & si quid ejusmodi. In Cat. III. *Interim tertia fere vigilia exacta, quum jam pontem cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent; unaque Vulturcius; fit in eos impetus, educuntur & ab illis gladii, & a nostris. Res erat prætoribus nota solis, ignorabatur a ceteris: tum interventu Pontinii, atque Flacci, pugna, quæ erat commissa, sedatur. litteræ quæcumque erant in eo comitatu integris signis prætoribus traduntur; ipsi comprehensi ad me, quum jam dilucesceret, deducuntur etc.*

Post rem ea considerantur, pallor, rubor, titubatio, & si qua alia signa conturbationis, & conscientiæ ad reum indicandum; vel contra vultus, vocisque constantia, aliave animi tranquillitatis vestigia ad crimen refellendum. huc etiam

etiam veniunt restinctus ignis, gladius cruentus, cetera, quæ suspicionem facti possunt movere. Pro Milone. *Quod si nondum satis cernitis, quum res ipsa tot, tam claris argumentis, signisque luceat, pura mente, atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum Romam revertisse: recordamini per Deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus ejus; qui ingressus in forum ardente curia, quæ magnitudo animi, qui vultus, quæ oratio. Magna vis est conscientiæ, judices, & magna in utramque partem; ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.* Pro Sex. Roscio. *Occiso Sex. Roscio, primus Ameriam nunciat Mallius Glaucia, quidam homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris istius T. Roscii; & nunciat domum non filii, sed T. Capitonis inimici; & quum post horam primam noctis occisus esset, primo diluculo nuncius hic Ameriam venit. Decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit; non modo ut exoptatum inimico nuncium primus afferret; sed etiam cruorem inimici quam recentissimum, telumque paullo ante e corpore extractum ostenderet.* Sic sæpe in eadem oratione, quæ cædem Roscii subsecuta sunt ad examen revocantur.

Ex his plane constat, ad hanc divisionem adjunctorum redigi posse septem illa capita, quæ protrito versiculo continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Verum quum hic amplificandi potius, quam argumentandi rationem quæramus;

mus; erit percommodum eloquentiæ studiosis, hæc ipsa capita revolvere, ut singulis exemplum aliquod accommodemus.

Quis personam designat, ad quam pertinent sexus, ætas, tum adjuncta corporis, animi, fortunæ. Corporis, ut si quis valens sit, an imbecillus; formosus, an deformis; velox, an tardus; quæque ad ejusdem corporis cultum revocari possunt. Animi vero: acutus, an hebetior; memor; an obliviosus; comis, officiosus, pudens, patiens, an contra: tum quæ studio, & industria sunt parta, ut artes, scientiæ, virtutesque cujusvis generis; vel contra, quæ ex pravitate sunt contracta, vitia, & probra. Ad fortunam refer nationem, patriam, cognationem, quibus majoribus, quibus consanguineis sit natus, qua in familia, locupleti, an egenti; splendida, an obscura. Quo præsertim spectant bona omnia, quæ fortunæ vocamus.

A corporis animique adjunctis sic Cicero describit partem exercitus Catilinarii in II. *Postremum autem genus est, non solum numero, verum etiam genere ipso, atque vita, quod proprium est Catilinæ, de ejus delectu, imo vero de complexu ejus, ac sinu, quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut pene barbatos videtis, manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos, non togis; quorum omnis industria vitæ, & vigilandi labor in antelucanis cœnis expromitur. in his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudicique versantur. hi pueri tam lepidi, ac delicati non solum amare, & amari, neque cantare, & saltare, sed etiam sicas vibrare, & spargere venena didicerunt.*

Quid

Quid negotium ipsum, quod geritur, indicat. atque huc pertinent adjuncta fere omnia aliis capitibus indicata. in gestione enim negotii quæritur locus, tempus, modus, occasio, facultas, de quibus infra. Rei tamen, quum opus est, adjuncta requiruntur. Ne tamen ullo in genere desiderentur exempla, huic etiam capiti unum adscribam, ubi licet in facti descriptione videre, quantum valeant adjuncta ad rem amplificandam. Permixta hic tamen videbis. Pro Sextio. *Rex Ptolemæus, qui si nondum erat ipse a senatu socius appellatus, erat tamen frater ejus regis, qui, quum esset in eadem caussa, jam erat a senatu honorem istum consecutus, erat eodem genere, iisdemque majoribus, eadem vetustate societatis, denique erat rex, si nondum socius, at non hostis, pacatus, quietus, fretus imperio populi Romani, regno paterno, atque avito, regali otio perfruebatur. De hoc nihil cogitante, nihil suspicante, eisdem operis suffragium ferentibus, est rogatum, ut sedens cum purpura, & sceptro, & illis insignibus regiis præconi publico subjiceretur; & imperante populo Romano, qui etiam bello victis regibus regna reddere consuevit, rex amicus nulla injuria commemorata, nullis repetitis rebus, cum bonis omnibus publicaretur.* Exaggerat deinde scelus Clodii, maxime contraria populi R. consuetudine exposita; tum addit de Ptolemæo. *Ille Cyprius miser, qui semper socius, semper amicus fuit, de quo nulla umquam suspicio durior aut ad senatum, aut ad imperatores nostros allata est, vivus (ut ajunt) est, & videns cum victu, & vestitu suo publicatus.*

Ubi

Ubi locum designat. loci vero quæruntur opportunitates ex intervallo, longinquitate, propinquitate, solitudine, celebritate, natura ipsius loci, & vicinitate totius regionis. Tum etiam consideratur, sacer, an profanus; publicus, an privatus; alienus, an ipsius, de quo agitur, locus sit, an fuerit.

Plura sunt ex loci adjunctis exempla Ciceronis. Illud est insigne de domo sua in Orat. de Haruspicum responsis. *Nego esse ullam domum aliam æque privato jure, atque optima lege, publico vero omni præcipuo, & humano, & Divino jure munitam.* Post pauca. *Nego ullo de opere publico, de monumento, de templo tot senatus exstare consulta, quot de mea domo; quam senatus unam post hanc urbem constitutam ex ærario ædificandam, a pontificibus liberandam, a magistratibus defendendam, a judicibus puniendam putaret. P. Valerio pro maximis in remp. beneficiis data domus est in villa publica: at mihi in Palatio restituta. illi locus, at mihi etiam parietes, atque tectum. illi, quam ipse privato jure tueretur; mihi, quam publice magistratus omnes defenderent.*

Auxiliis indicantur arma, opes, socii, ministri, omnia demum instrumenta, & adjumenta, quibus utimur ad rem gerendam. Quæ si quispiam caussis malit adscribere, non ego plurimum repugnabo. Interim liceat his etiam exemplum subjicere ex Accusat. II. in Verrem, cujus rapacitatem ut festivius exagitet, ostendit, quot ipse ministros habebat, totidem illum manibus uti consuevisse ad eripiendam, congerendamque pecuniam.

Nego tibi ipsi ullum nummum esse numeratum;

tum; ſed, quum ob tua decreta, ob imperata, ob judicata pecuniæ dabantur, non erat quærendum, cujus in manu numerarentur, ſed cujus injuria cogerentur. comites illi tui delecti, manus erant tuæ; præfecti, ſcribæ, medici, accenſi, haruſpices, præcones, manus erant tuæ: ut quiſque te maxime cognatione, affinitate, neceſſitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur: cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quam ſi centum cohortes fugitivorum fuiſſent, tua manus ſine controverſia fuit. quidquid ab horum quopiam captum eſt, id non modo tibi datum, ſed in tua manu numeratum judicari neceſſe eſt.

Cur fines explorat propter quos aliquid geſtum eſt, vel quidquam ſuadetur, probatur, aut contra. Verum id etiam ad genus cauſſarum rejiciendum. Quæri autem ſolet, & expendi, ad privatumne potius, an ad publicum bonum; ad lucrum, & quæſtum, an ad laudem & honeſtatem factum ſit revocandum. Occurrunt iſta ſæpiſſime tum in defenſionibus, tum in accuſationibus. Exempli tamen cauſſa hæc ſunto.

Lib. I. de fin. bon., & mal. *Quid eſt enim in vita tantopere quærendum, quam quum omnia in philoſophia, tum id, quod iis libris quæritur, quid ſit finis, quid extremum, quid ultimum, quo ſint omnia bene vivendi, recteque faciendi conſilia referenda quid ſequatur natura, ut ſummum ex rebus expetendis, quid fugiat, ut extremum malorum?* & lib. II. *Hi non viderunt, ut ad curſum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem, ſic hominem ad duas res, ut ait*

ait Aristoteles, intelligendum, & agendum esse natum.

De nat. Deor. II. *Ad hanc providentiam naturæ tam diligentem, tamque solertem adjungi multa possunt, e quibus intelligatur, quantæ res hominibus a Deo, quamque eximiæ tributæ sint: qui primum eos humo excitatos, celsos, & erectos constituit, ut Deorum cognitionem, cælum intuentes, capere possent. Sunt enim e terra homines non ut incolæ, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque cælestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem, interpretes, ac nuntii rerum in capite tamquam in arce mirifice ad usus necessarios, & facti, & collocati sunt.* Fusissimæ sequuntur, & admirabiles cujusque sensus, ejusque officiorum descriptiones.

Huc spectant illa pro Sex. Roscio. *Quod consuetudine patres faciunt, id quasi novum reprehendis; quod benevolentia fit, id odio factum criminaris; quod honoris caussa pater filio suo concessit, id eum supplicii caussa fecisse dicis.* Et infra. *Etenim hæc conficta arbitror a poetis esse, ut effictos nostros mores in alienis personis, expressamque imaginem vitæ nostræ quotidianæ videremus.*

Quomodo pervestigat modum; in quo perquiri solet, quo animo, qua celeritate, qua ratione id factum sit, de quo agitur; sed præsertim prudentia, vel contra imprudentia. Hæc autem constant ex iis, quæ sive palam, sive clam, sive vi, sive persuasione quis fecerit, sive ex inscientia, casu, necessitate: sive cum ani-

mi molestia, sive in iracundia, sive per amorem, aliave, quæ in simili genere versantur.

Pro Cœlio sic ipsum defendit Cicero a crimine veneni. *Sed quid ego de dignitate istorum testium loquar? virtutem eorum, diligentiamque cognoscite. in balneis delituerunt. testes egregios! Deinde temere prosiluerunt. homines gravitati deditos! Sic enim fingunt: quum Licinius venisset, pyxidem teneret in manu, conaretur transdere, nondum transdidisset, tum repente evolasse istos præclaros testes sine nomine; Licinium autem, quum jam manum ad transdendam pyxidem porrexisset, retraxisse, atque illo repentino hominum impetu se in fugam conjecisse .... Verum hæc tota fabella veteris, & plurimarum fabularum poetriæ quam est sine argumento? quam nullum invenire exitum potest? quid enim isti tot viri (nam necesse est fuisse non paucos, ut & comprehendi Licinius facile posset, & res multorum oculis esset testatior) cur Licinium de manibus amiserunt? qui minus enim Licinius comprehendi potuit, quum se retraxit, ne pyxidem transderet, quam si non retraxisset? Erant enim illi positi, ut comprehenderent Licinium, ut manifesto Licinius teneretur, aut quum retineret venenum, aut quum transdidisset.* Pergit omnia incredibilia probare. Addit.

Quæro enim, cur Licinium titubantem, hæsitantem, cedentem, fugere conantem mulieraria manus ista de manibus emiserit? cur non comprehenderint? cur non ipsius confessionem multorum oculis, facinoris denique voce, tanti sceleris crimen expresserint? An timebant, ne tot

unum,

unum valentes imbecillum, alacres perterritum superare non possent? nullum argumentum in re, nulla suspicio in caussa, nullus exitus criminis reperietur.

Quando tempus exprimit. in hoc & quæ præterierunt considerantur, & eorum ipsorum, quæ propter vetustatem obsolverunt, ut incredibilia videantur, & jam in fabularum numerum reponantur: & quæ jam diu gesta, & a memoria nostra remota, tamen ut faciant fidem, vere tradita esse; quod eorum monumenta certa in litteris existent. Sæpe oportet commetiri cum tempore negotium, & videre, potueritne magnitudo negotii, aut multitudo rerum in eo transigi tempore. Consideratur autem tempus, & anni, & mensis, & diei, & noctis, & vigiliæ, & horæ; tum etiam quæritur occasio, sive opportunitas aliquid faciendi, aut non faciendi, sive publica, ut ludi, dies festus, bellum, pax, messis, vindemmia, calor, frigus; sive privata, ut nuptiæ, sacrificium, funus, convivium, somnus.

Pro Murena de Catone. *Horribilis oratio! sed eam usus, vita, mores, civitas ipsa respuit . . . . Quare noli, Cato majorum instituta, quæ res ipsa publica, quæ diuturnitas imperii comprobat, nimium severa oratione reprehendere.* Pro Lege Man. de Pompejo contra Q. Catulum legi adversantem. *At enim nihil novi fiat contra exempla, atque instituta majorum. Non dico hoc loco Majores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse: semper ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodasse.*

Sed nihil invenies neque frequentius, neque uberius a Tullio, non in omni tantum oratione, sed in singulis fere cujuslibet partibus usurpatum, hoc loco; ut propterea nullus vere censendus sit magis oratorius.

Præter libros Cic. jam supra cit. de Locis Rhet. plura hujus capitis invenies lib. I. de Invent. cap. XXVI., *& seq.*

De Antecedentibus, Consequentibus, & Repugnantibus.

CAP. XIII.

A*Ntecedentia sunt, quæ necessario antecedunt, seu quibus positis consequentia necessario sequuntur.* Sic Ver æstatem antecedit; sceleris conscientia perturbationem animi. Atque hæc in morum disciplina Ciceroni frequentissima. Sunt hujusmodi in lib. Tusc. qq. v. *Potes igitur, aut qui male vivat, non eum miserum dicere, aut quem bene fateare, eum negare beate vivere?* Et: *Quis enim potest mortem, aut dolorem metuens, quorum alterum semper adest, semper impendet, esse non miser?* Et contra: *Quid potest ad beate vivendum deesse ei, quem fortitudo ab ægritudine, & a metu vindicet? temperantia tum a libidine avocet, tum insolenti alacritate gestire non sinat?*

Sic sæpe Oratores ex eorum defectu, quæ crimen antecedere deberent, crimen ipsum refellunt. Sic Cicero pro Murena, hunc purgat

a con-

a convicio saltatoris, quod ei Cato objecerat, nihil afferens eorum, quæ saltationem solent antecedere. *Quare quum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex trivio, aut ex scurrarum aliquo convicio, neque temere consulem populi Romani saltatorem vocare; sed conspicere, quibus præterea vitiis affectum esse necesse sit eum, cui vere istud obiici possit. nemo enim fere saltat sobrius, nisi forte insanit; neque in solitudine, neque in convivio moderato, atque modesto. Tempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mihi erripis id, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum; relinquis illa, quibus remotis, hoc vitium omnino esse non potest. Nullum turpe convivium, non amor, non comessatio, non libido, non sumptus ostenditur; & quum ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitiosa sunt, in quo ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriæ reperturum putas?*

Ostendit pariter ex antecedentibus non debere Senatum cum Antonio pacem inire, quem paullo ante hostem judicasset; sic Phil. XIII. *Non recordamini per Deos immortales, quas in eos sententias dixeritis? Acta M. Antonii rescidistis: leges refixistis: per vim, & contra auspicia latas decrevistis: totius Italiæ delectus excitavistis: collegam, & socium scelerum omnium hostem judicavistis. Cum hoc quæ pax esse potest?*

Consequentia sunt illa, quæ ex Antecedentibus necessario consequuntur: ut mors vitam; vita respirationem. Ex consequentibus illud est.

Si & ferro interfectus ille; & tu inimicus ejus cum gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco; & nemo præter te ibi visus est; & caussa nemini; & tu semper audax; quid est, quod de facinore dubitare possimus?

Pro Sex. Roscio de filiis, quorum nomina fuerant de parricidio delata, quod in eodem loco, ubi pater occisus fuit, reperti sunt propter cubantes: *Erat porro nemo, in quem ea suspicio conveniret. tamen quum planum judicibus esset factum, aperto ostio, dormientes eos repertos esse, absoluti sunt. nemo enim putabat, quemquam esse, qui, quum omnia divina, atque humana jura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset; propterea quod, qui tantum facinus admiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.* -- Pergit longius Cicero; tum ea pervestigans, quæ mortem Sex. Roscii subsecuta sunt; omnem necis suspicionem, & crimen ipsum rejicit in D. Roscium, qui sedebat cum accusatore.

Sæpe etiam ex antecedentibus sumunt conjecturam eorum, quæ putant, ac denunciant eventura. Unde huc possunt referri ominationes, de quibus jam egimus in figuris.

Ominatio certe illa est in Cat. IV. *Videor enimi mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem: cerno animo sepultam patriam, miseros, atque insepultos acervos civium: versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, & furor in vestra cæde bacchantis: quum vero mihi proposui regnantem Lentulum, sicut ipse*

ipse se ex fatis sperasse confessus est, purpuratum esse hunc Gabinium, cum exercitu venisse Catilinam, tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam virginum, atque puerorum, ac vexationem virginum Vestalium perhorresco.

Repugnantia sunt, quæ nulla certa lege opponuntur, sed numquam possunt cohærere inter se. Contrariorum consequentia dicuntur: sic amor & odium sunt contraria inter se. Jam vero, si cum amore, non odium conferas, sed quod odium consequitur, injuriam nimirum, fient repugnantia; qualia sunt, amare aliquem, & eumdem injuria afficere. Sed etiam sine præceptis quivis plane intelligit, quæ convenire inter se ob repugnantiam non possunt. Illud Crassi adolescentis in Carbonem huc potest referri. *Non si Opimium defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt. simulasse te, & aliud quid quæsisse perspicuum est: quod Ti. Gracchi mortem sæpe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti; quod eam legem in tribunatu tulisti; quod semper a bonis dissensisti.* Sed hic permiscentur antecedentia, & consequentia. Illa sunt repugnantia in Phil. VII. *Magna pax Antonio cum his; his item cum illo. Quæ potest major esse discordia? In discordia autem pax civilis esse nullo pacto potest.*

Pro Sex. Roscio ex hoc loco ita reum defendit. *Quo modo occidit? Ipse percussit, an aliis occidendum dedit? Si ipsum arguis; Romæ non fuit: si per alios fecisse dicis; quæro, servosne, an liberos? quos homines? indidem ne Ameria, an hosce ex urbe sicarios? Si Ameria;*

qui sunt hi? cur non nominantur? Si Romae; unde eos noverat Roscius? qui Romam multis annis non venit, neque umquam plus triduo fuit. Ubi eos convenit? quicum locutus est? quo modo persuasit? pretium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde, aut quantum dedit? Nonne his vestigiis ad caput maleficii perveniri solet? Ac rursum post pauca. *Verum haec missa facio. illud quaero; is homo, qui, ut tute dicis, numquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, absens praesertim conficere potuerit?*

Deinde. *Romae Sex. Roscius occiditur, quum in agro Amerino esset filius. litteras, credo, misit alicui sicario, qui Romae noverat neminem. accersivit aliquem. at quando? Nuncium misit. quem? aut ad quem? pretio, gratia, spe, promissis induxit aliquem. nihil horum ne confingi quidem potest; & tamen caussa de parricidio dicitur.*

Nec dubium, quin a repugnantibus dici possint conclusiones illae deductae, quae etiam a contrariis sententiae vocantur, quaeque magnam vim habent in oratione. Sic pro Sulla Torquatum alloquens accusatorem ex genere illius T. Manlii Torquati, qui Latino bello filium necari jussit, quod contra edictum, licet prospere, cum hoste dimicasset. *An vero clarissimum virum, generis vestri, ac nominis nemo reprehendit, qui filium suum vita privavit, ut in ceteris firmaret imperium: tu remp. reprehendis, quae domesticos hostes, ne ab iis ipsa necaretur, necavit?* Verum de his suo loco, ubi de argumentationibus.

De

De Caussis.

CAP. XIV.

Res efficientes caussæ appellantur. Porro caussarum duo sunt genera: unum, quod vi sua id, quod sub ea subjectum est, certe efficit; ut ignis accendit: alterum, quod naturam efficiendi non habet; ut si quis æs caussam statuæ velit dicere, quod sine illo non possit effici.

Est etiam caussarum dissimilitudo, quod aliæ sunt, ut sine ulla appetitione animi, sine voluntate, sine opinione suum quasi opus efficiant, quæ naturales dici possunt, quod rerum naturam consequantur: sic est necesse, ut omne intereat, quod ortum est. Aliæ vero aut voluntate, aut perturbatione animi, aut habitu, aut naturali quadam vi, aut arte, aut casu, quidquam efficiunt. Voluntate, ut tu, quum hunc libellum legis: Perturbatione, ut si quis eventum horum temporum timeat: Habitu, ut facile, & cito quis irascatur: Naturali quadam vi fit, ut vitium in dies crescat: Arte, ut quis bene pingat: Casu, ut prospere naviget. Nihil horum fit sine caussa, nec quidquam omnino: sed hujus generis caussæ non sunt necessariæ.

Plures aliæ subtiliores caussarum divisiones traduntur; sed nostra minime refert, eas investigare. Ut locum tamen faciamus exemplis, vulgarem illam distributionem afferemus, qua caussæ solent in quatuor genera dividi, in caus-

sam

ſam efficientem, in materiam, in formam, in finem.

Cauſſa efficiens eſt, quæ id efficit, cujus eſt cauſſa: ſic pictor eſt efficiens cauſſa picturæ. Huic ſubduntur cauſſæ adjuvantes, inſtrumenta nimirum, & auxilia, quibus utitur efficiens ad opus vel omnino conficiendum, vel ad facilius, & abſolutius agendum. Ad hoc genus etiam pertinent cauſſæ, quæ dicuntur interimentes, quæ ſcilicet quidpiam eripiunt, ut mors vitam, morbus ſanitatem. Sed hic præſertim conſideranda ſunt, quæ penitus ſunt voluntaria, quæque non ita: quæ omnino gignuntur conſilio, & quæ ex impetu perturbationis aguntur. Hinc enim oritur locus defenſionis, quum ea, quæ agimus cadunt in ignorationem quamdam, aut imprudentiam: quum perturbationes ipſæ, & maxime repentinæ, tantos aliquando adhibeant motus, ut prope conſilium impediant, & rationis judicium antevertant. Qua de re Tullius præclare lib. I. Offic. *Sed in omni injuſtitia permultum intereſt, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis eſt, & ad tempus; an conſulto, & cogitata fiat injuria. leviora enim ſunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata, & præparata inferuntur.*

Ex his cauſſis ita conficimus argumentum. *Avaritiam ſi tollere vultis, mater ejus eſt tollenda luxuries.* Pro lege Man. *Nam ceteris in rebus, quum venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in vectigalibus, non ſolum adventus mali, ſed etiam metus ipſe affert calamitatem. nam quum hoſtium copiæ non longe abſunt,*

etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura, deseritur, mercatorum navigatio conquiescit.

Pro M. Marcello, qua de caussa Pompeium fuerit secutus contra Cæsarem, ita exponit. *Hominem sum secutus privato officio, non publico; tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens, & sciens, tamquam ad interitum ruerem voluntarium.*

Ut autem constet, quod supra commemoravimus, valere plurimum ad criminis, sive reprehensionem, sive defensionem illud probari, vel ex proposito voluntatis susceptum, vel ex ignoratione, impetu, imprudentia contractum; in utramque partem exemplum proferemus. ac primo in Antonium Phil. II. *Sedebat in rostris collega tuus* (C. Cæsar) *amictus toga purpurea, in sella aurea coronatus: ascendis; accedis ad sellam; ita eras Lupercus, ut te esse consulem, meminisse deberes, diadema ostendis: gemitus toto foro. Unde diadema? non enim abjectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum, & cogitatum scelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi, ille cum plausu rejiciebat.* Contra vero excusat eorum deliberationem, qui Pompejo adhæserant pro Ligario, sic: *Scelus tu illud vocas, Tubero? Cur? isto enim nomine illa adhuc caussa caruit. alii errorem appellant; alii timorem; qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui gravissime, temeritatem; scelus præter te adhuc nemo. Ac mihi quidem, si proprium, & verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædam calamitas* in-

incidisse videtur, & improvidas hominum mentes occupavisse: ut nemo mirari debeat, humana consilia divina necessitate esse superata.

Materia est, ex qua res fiunt; ut ex ligno navis, ex ferro gladius. Hoc pariter nomine appellatur, quidquid illud est, circa quod artes versantur; sic omnis quæstio dicitur Rhetoricæ materia. In hac postrema notione potest non modo ornatæ, verum etiam eruditæ disputationi, & amplificationi copiam materia suppeditare; sed ei, qui jam rerum cognitionem aliunde compararit. At si primo, & proprio modo materiam sumas, ut æs, argentum, ferramenta, cetera hujus generis; digladiandi quidem inter se Physicis quærentibus in profundo rerum omnium primordia, campum aperies; sed vix locum amplificandi dabis oratoribus; qui materiem quidem, ex qua res constat esse factas, debent sæpe commemorare, sed in ea describenda vix umquam immorari.

Si tamen exempli caussa debemus aliquid proferre, sit illud in primis Act. IV. in Verrem. *Eryphilam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut quum vidisset monile, ut opinor, ex auro, & gemmis, pulchritudine ejus incensa salutem viri proderet. similis istius cupiditas: hoc etiam acrior, atque infamior, quod illa cupiebat id, quod viderat; istius libidines non solum oculis, sed etiam auribus excitabantur.*

Plura occurrunt Cæsaris commentarios legenti, in quibus materiæ diversæ, ex qua munitiones fiebant, diligens, & elegantissima subijcitur descriptio. Sed nemo non videt, cujus sit ingenii, & artis hæc describere. Sufficiat una

una ex lib. II. Belli Civilis particula. Ubi loquitur de turri ad Massiliensium expugnationem ædificata, hæc habet. *Eamque contabulationem summam lateribus, lutoque constraverunt; ne quid ignis hostium nocere posset: centonesque insuper injecerant, ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent, aut saxa ex catapultis lateritium discuterent. Storeas autem ex funibus anchorariis tres in longitudinem parietum turris, latas IV. pedes fecerunt; easque ex tribus partibus, quæ ad hostes vergebant, eminentibus trabibus circum turrim præpendentes religaverunt: quod unum genus tegumenti aliis locis erant experti nullo telo, neque tormento trajici posse.*

Alterius generis materiem copiose descriptam habes lib. I. Accad. qq. *Socrates mihi videtur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis, & ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerunt, avocavisse philosophiam, & ad vitam communem adduxisse, &, ut de virtutibus, & vitiis, omninoque de bonis rebus, & malis quæreret: cælestia autem vel procul esse a nostra cognitione censeret, vel si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum conferre.*

Eamdem sententiam adducit lib. V. Tusc. qq. Sed quum ad dicendi copiam vel in primis arbitrer pertinere, quo pacto excellentes dicendi magistri idem varia exornent, tractentque ratione, cognoscere; hunc etiam locum afferam, qui sic se habet. *Sed ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum Anaxagoræ discipulum audierat, numeri, motusq. tractabantur,*

tur, & unde omnia orirentur, quove recederent; studioseque ab iis siderum magnitudines, intervalla, cursus inquirebantur, & cuncta cœlestia. Socrates autem primus philosophiam devocavit e cælo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita, & moribus, rebusque bonis, & malis quærere.

Forma, quam etiam speciem, sive differentiam dicimus, est, qua res quælibet est id, quod est, & differt a cæteris. Distinguitur in *intimam*, in qua proprie insidet ejus natura, cujus dicitur forma, ut animus in homine; & *externam*, quæ vel est naturæ, vel artis: Naturæ, ut exterior hominis species; artis ut simulacri -- Redeunt hæc omnia, tum ad definitionem, tum ad differentiam: minime tamen deesse possunt exempla singulis formæ rationibus subijcienda.

Si hominis quæritis veram, & intimam formam, præter jam datam, ubi ejus attulimus definitionem, hanc modo breviorem ex somno Scipionis accipite, qua licebit etiam videre, quantum inter utramque formam intersit. *Sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc; nec enim is es, quem forma ista declarat; sed mens cujusque, is est quisque; non ea figura, quæ digito monstrari potest.*

Aliam habet pulcherrimam hominis imaginem lib. I. de Legibus, in qua prius animi bonis commemoratis, ab exteriori specie illum describit. *Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tamquam satellites attribuit, ac nuncios, & rerum plurimarum obscuras, & necessarias intelligentias enodavit, quasi fundamenta quadam*

dam scientiæ, figuramque corporis habilem, & aptam ingenio humano dedit. Nam quum ceteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad cælique quasi cognitionis, domiciliique pristini conspectum excitavit; tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur; & is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominem potest, indicat mores, cujus vim Græci norunt, nomen omnino non habent.

Atque ut etiam ad simulacrorum speciem, sive formam veniamus; brevis illa quidem, sed elegantissima est, quæ legitur in IV. Accusat. *Erant ænea præterea duo signa non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu, atque vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant. Canephoræ ipsæ vocabantur.*

Finis id est, cujus gratia fit aliquid. Nec dubium, quin id in agendo præcipuum habeatur. Quamquam enim finis ipse, qui movet ad agendum, extremus obtineatur, ut scientia, & eruditio, ad quam comparandam studia conferimus, & vires omnes ingenii, atque industriæ; tamen is est, quem respicit efficiens, & quo maxime ducitur, qui rationis est particeps. Neque vero in universa natura, cujus est auctor sapientissimus Deus, quidquam deprehendes, quod præclarum, & aptum ob finem non fuerit procreatum, & vigeat, & moveatur.

Hinc Cicero II. de Nat. Deorum: *Scite Chrysippus, ut clypei caussa involucrum, vaginam*

autem gladii, sic præter mundum, cetera omnia aliorum caussa esse generata; ut eas fruges, atque fructus, quos terra gignit, animantium caussa, animantes autem hominum; ut equum vehendi caussa, arandi bovem, venandi, & custodiendi canem; ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum.

Ex hoc loco illud est 1. Offic. *Sed quoniam (ut preclare scriptum est a Platone) non nobis solum nati sumus. sed ortus nostri partem patria, partem parentes vendicant, partem amici. Atque (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum caussa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi; & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.*

De Effectis.

CAP. XV.

E*Ffecta dicuntur, quæ sunt orta de caussis.* Hinc autem sic ducitur argumentum... *Si ærarii copiis & ad belli adjumenta, & ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus.* Hæc lib. I. de Oratore: in oratione autem pro Lege Manilia ita hoc ipsum inducit argumentum... *Aguntur certissima populi R. vectigalia,*

lia, & maxima, quibus amissis & pacis ornamenta, & subsidia belli requiretis.

Est is locus cum caussarum loco maxime conjunctus. Ut enim caussa effectum indicat; sic, quod effectum est, quæ fuerit caussa, significat. Unde, quum de caussa sermo est, effecta solent inquiri; & quum de his agendum est, caussa pervestigari solet. Magnam hic locus dicendi copiam suggerit oratoribus, poetis, imo & philosophis, qui ornate, & copiose loqui possunt; quum denunciant, quid ex quaque re sit futurum: caussarum enim cognitio parit cognitionem eventorum. Verum hæc ipsa utilius erit exemplis illustrare, quam præceptis fusius tractare.

Sunt illa ex hoc loco de facultate dicendi ornatissima, quæ leguntur I. de Orat. cap. VIII. *Neque vero mihi quidquam, inquit, præstabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit; unde autem velit, deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximeque in pacatis, tranquillisque civitatibus præcipue semper floruit, semperque dominata est? Quid enim est, aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu, atque auditu, quam sapientibus sententiis, gravibusque verbis ornata oratio, & polita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem, unius oratione converti. Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplici-*

plicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate?

Pro Murena idem Cicero. *Ac nimirum (dicendum est enim, quod sentio) rei militaris virtus præstat ceteris omnibus: hæc nomen populo Romano; hæc huic urbi æternam gloriam peperit; hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit, omnes urbanæ res, omnia hæc nostra præclara studia, & hæc forensis laus, & industria latent in tutela, ac præsidio bellicæ virtutis. simulatque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostræ conticescunt.*

Quæ tamen maxime oratoria censeri debent, ea puto, quæ supra tradidimus verbis ejusdem Tullii, quum scilicet ex quaque re, quid sit futurum denunciamus. In una Oratione ut perstem, quot occurrunt hujusmodi in Phil. v.? Primum. *Est enim opinio, decreturum aliquem Antonio illam ultimam Galliam, quam Plancus obtinet. quid est aliud omnia ad bellum civile hosti arma largiri? primum nervos belli, pecuniam infinitam, qua nunc eget, deinde equitatum, quantum velit. equitatum dico? dubitabit, credo, gentes barbaras secum adducere. hoc qui non videt, excors; qui, quum videt, decernit, impius. Tu civem sceleratum, & perditum Gallorum, & Germanorum exercitu, pecunia, peditatu, equitatu, copiis instrues?*

Et paucis interpositis. *Agitur, utrum M. Antonio facultas detur, opprimendæ reip., cædis faciendæ bonorum, diripiendæ urbis, agros suis latronibus condonandi, populum R. servitute opprimendi; an horum nihil facere ei liceat. Dubitate, quid agatis.* Aliquanto post demonstrat

ſtrat legatos non eſſe ad Antonium mittendos; inquit: *Denique, quamvis ſevera legatis mandata dederimus, nomen ipſum legatorum hunc, quem videmus, populi R. reſtinguet ardorem, municipiorum, atque Italiæ franget animos; ut omittam hæc, quæ magna ſunt, certe iſta legatio moram, & tarditatem afferret bello. Quamvis dicant, quod quoſdam audio dicturos, legati proficiſcantur, bellum nihilominus paretur; tamen legatorum nomen ipſum & animos molliet, & belli celeritatem morabitur. Minimis momentis, P. C., maximæ inclinationes temporum fiunt, quum in omni caſu reip., tum in bello, & maxime civili, quod opinione plerunque, & fama gubernatur. nemo quæret, quibus cum mandatis legatos miſerimus; nomen ipſum legationis ultro miſſæ timoris eſſe ſignum videbitur.*

De Comparatione.

CAP. XVI.

RElìquus eſt comparationis locus. *Comparatio eſt, qua vel majora, vel minora, vel paria comparantur.* In hoc diſtinguitur a ſimilitudine comparatio; quod illa in rebus diverſis reſpicit ſimilem affectionem, ſive qualitatem; hæc vero rerum ipſarum momentum, pretium, æſtimationem, ſive quantitatem; nempe ſi comparata ſint majora, ſive minora, ſive paria. Majora dicuntur, quæ ſunt in comparatione majoris momenti, ac ponderis; minora, quæ minoris; paria, quæ nec elationem habent,

nec submissionem. Tribus igitur modis fit comparatio.

Ex majori colligitur minus, hoc pacto.

,, Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem, aut
,, Audebit, tanto magis audebit ceteros.
Terrent. Adelph. A. I. s. I.

Ex minori majus deducitur, ut apud eumdem in Andria a. I. s. I.

,, Sic cogitabam: hic parvæ consuetudinis
,, Caussa, mortem hujus tam fert familiariter:
,, Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic: *Est ejusdem & eripere contra rempublicam, & largiri pecunias*. seu clarius I. Tusc. qq. *Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondæ, licuit (ne & vetera, & externa quæram) mihi*.

Docet Cicero spectari in comparatis numerum, speciem, vim, quamdam etiam ad res aliquas affectionem, plura etiam recenset cujusque generis, quæ sunt in comparatione aliis anteferenda. Sed hæc, quæ videntur nimium accurata, prætereamus; ne videamur superstitiosi. Dum tamen præceptis parcimus, abundemus exemplis, in loco præsertim ad vim, ad ornatum, ad copiam, ad omnem eloquentiæ laudem aptissimo, ac semper patenti. Omnia siquidem clarius elucescunt cum aliis comparata, quam in se tantum perspecta.

Ex majori sunt illa Divinat. in Verrem. *Fortasse dices: quid? ergo hæc in te sunt omnia? utinam quidem essent: verumtamen ut esse pos-*

sent,

sent, magno studio mihi a pueritia est elaboratum. Quod si ego hæc propter magnitudinem rerum, ac difficultatem assequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi: quam longe tute ab his rebus abesse arbitrare, quas, non modo antea numquam cogitasti, sed ne nunc quidem, quum in eas ingrederis, quæ, & quanta sint, suspicari potes? Idem fusius producit argumentum.

Pro Murena. *Sed si nosmetipsi, qui & ab oblectatione omni negotiis impedimur, & in ipsa occupatione delectationes alias multas habere possumus, ludis tamen oblectamur, & ducimur: quid tu admirere de multitudine indocta?*

Ex Minoribus sæpissime Tullius argumentatur; quæque sunt majora validius insinuat. Pro Archia. *Homerum Colophonii civem esse dicunt suum; Chii suum vindicant; Salaminii repetunt: Smyrnæi vero suum esse confirmant. Itaque etiam delubrum ejus in opido dedicaverunt. permulti alii præterea pugnant inter se, atque contendunt. Ergo illi alienum, quia Poeta fuit, post mortem etiam expetunt; nos hunc vivum, qui & voluntate, & legibus noster est, repudiabimus?*

Pro Quinctio. *Miserum est exturbari fortunis omnibus; miserius est injuria. acerbum est ab aliquo circumveniri; acerbius a propinquo. calamitosum est bonis everti; calamitosius cum dedecore. funestum est a forti, atque honesto viro jugulari; funestius ab eo, cujus vox præconio quæstu prostitit. indignum est a pari vinci, aut superiore; indignius ab inferiore, atque humiliore. luctuosum est tradi alteri cum bonis; lu-*

ctuosius inimico. horribile est caussam capitis dicere; horribilius priore loco dicere.

Ex paribus est pulcherrima exornatio, quæ legitur in Catone Majore. *Sunt pueritiæ certa studia: num igitur ea desiderant adolescentes? sunt & incuntis adolescentiæ: num ea jam constans requirit ætas, quæ dicitur media? sunt etiam hujus ætatis; ne ea quidem in senectute quæruntur. sunt autem extrema quædam studia senectutis. ergo ut superiorum ætatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis.*

Ita ducitur aliquando comparatio, ut vix quidquam distare a similitudine videatur. Est illud insigne pro Sex. Roscio Amerino. *Hominem longe audacissimum nuper habuimus in civitate C. Fimbriam; & quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum. Is quum curasset in funere C. Marii, ut Q. Scævola vulneraretur, vir sanctissimus, atque ornatissimus nostræ civitatis, de cujus laude, neque hic locus est, ut multa dicantur, neque plura tamen dici possunt, quam populus R. memoria retinet; diem Scævolæ dixit, postea quam comperit eum posse vivere. quum ab eo quæreretur, quid tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commode posset, ajunt hominem, ut erat furiosus, respondisse, quod non totum telum corpore recepisset .... Est ne hoc illi dicto, atque facto Fimbriæ non simillimum? Accusatis Sex. Roscium. quid ita? quia de manibus vestris effugit; quia se occidi passus non est. illud, quia in Scævola factum est, magis indignum videtur: hoc, quia fit a Chrysogono, num est ferendum?*

Non-

Nonnumquam etiam Cicero videtur comparationem timide inire ad evitandam audaciæ suspicionem, quam postea ita perducit ad exitum, ut aliquid etiam indicet præstantiæ in re comparatione illustrata. Ita de se ipso in Catil. III. *Et si non minus nobis jucundi, atque illustres sunt dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur; quod salutis certa lætitia est, nascendi incerta conditio; & quod sine sensu nascimur, cum voluptate conservamur: profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, ad Deos immortales benevolentia, famaque sustulimus; esse apud vos, posterosque vestros in honore debebit is, qui eamdem hanc urbem conditam, amplificatamque servavit.*

De Locis assumptis, seu remotis.

CAP. XVII.

POstquam de Locis, qui hærent in ipsa re satis pro instituto nostro diximus; de iis modo qui extrinsecus assumuntur pauca dicemus. Quemadmodum vero primi vocantur artificiosi, ita isti artis expertes: quorum si genus requirimus, possumus omnes ad testimonium referre.

Est autem testimonium quidquid ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Sed duo sunt testimonii genera. Divinum, cujus auctor Deus est: Humanum, quod ex hominibus sumit auctoritatem.

Divina hæc fere habebantur testimonia. Pri-

mum orationis; quum Deus ipse loquebatur, hinc Oracula, quæ ex hoc ipso erant appellata, quod in his putabant Deorum orationem inesse: deinde rerum, in quibus insunt quasi opera quædam divina. Quo in genere primum hic Mundus a Tullio commemoratur, ejusque omnis ordo, ac ornatus. Ac vere quidem, & sapienter. quum totum hoc opus admirabile, & quæ in eo summa providentia condita, & gubernata sunt, ad supremum Opificem, & Conditorem omnipotentem Deum pervestigandum, & cognoscendum nos provocent, atque perducant. Jam cetera quæ huc pertinere arbitrabantur homines falsa religione imbuti, sunt meræ nugæ, quas levissime attingere satis erit, ut ea intelligamus, quæ scripta invenimus. Itaque divini aliquid ad futuros eventus præsagiendos inesse avibus putabant, ex quarum inspectione auspicia, garritu vero auguria sumebant. His accedebant, quæ servata de cælo obnunciabantur, ut aeris sonitus, & ardores, multarumque rerum in terra portenta, atque etiam per exta victimarum in aris inspecta, unde (1) Aruspices sunt nominati, captæ rerum, & eventuum præsensiones. Dormientibus quoque multa significata per visa, & insomnia, & per conjectores explicata locum habebant divini testimonii. Nec alio spectabant vaticinationes, & responsa sacerdotum. Superstitiosis hisce nugis a sacratissima re-

(1) *Ni mavis Haruspicem scribere cum Donato, quem sequitur Manutius, & ab Haruga illum nominari. Nam Haruga dicitur hostia, sive victima, ab hara, in qua pecora includebantur.*

religione ablegatis vel fidem habere, vel ullam auctoritatem tribuere, non modo impium, verum etiam insanissimum esset. *Vetus enim illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se ajebat, quod non rideret Aruspex, Aruspicem quum vidisset. Quota enim quæque res evenit prædicta ab his? aut, si evenit quidpiam, quid afferri potest, cur non casu id evenerit?* II. de Divinat.

Nobis igitur divinum est testimonium quidquid ipse Deus locutus est: quo in loco vel inprimis habendæ sunt sacræ litteræ, quæ jure optimo & verbum Dei scriptum appellantur, & vera sunt Oracula. Quare licet is locus assumptus dicatur, seu remotus, ac vere sit hujusmodi; nihil tamen dubitandum, quin ceteros omnes fide, & auctoritate antecellat. Unde, quum est opus in caussis nostræ Religionis, sacrisque institutis suadendis hoc loco; ejus vim potissimum, & supremæ auctoritatis momentum proponere, & insinuare debemus. Ubi liceat eos præmonere, qui ex nostris discipulis sacræ eloquentiæ sunt operam daturi, ne umquam divinis hujusmodi testimoniis ad ingenii ostentationem, seu verius ad ineptiarum levitatem abutantur. Illud est fide divina certissimum, quod verbis ipsis sacrarum litterarum declaratum est, quodque satis constat per se ex vi sententiæ. Quare qui ex proprio ingenio sensus magis reconditos perscrutari student, & distorquere conantur, ut eos accommodent suis opinionibus; & per varias speculationum ambages ad ea traducunt, quæ minime significantur per verba, hi quidem in re sacra, & maxime seria lu-

ludere ineptissime mihi videntur, ac divinam auctoritatem non nihil violare.

Ad Humanum testimonium referuntur, quæ alii distinctis numero locis attribuunt: quos tamen si lubeat distinguere, non erit necesse a nostro discedere auctore, qui nihil iis desiderandum reliquit, quos recta, & perpolita studia delectant. Humanum itaque est testimonium, quod spectatur ex auctoritate, & ex voluntate, & ex oratione aut libera, aut expressa, in quo sunt scripta, pacta, promissa, jurata, quæsita.

Ac primum auctoritas est, quæ in testimoniis semper valet plurimum. Auctoritatem afferunt tum virtus, ætas, rerum usus, doctrina; tum etiam opinio, quæ in animis hominum inveterata erit de cujusquam fide. Detrahunt contra homini auctoritatem contraria. Ut plura, quæ fidem faciunt complectamur, lubet afferre, quod legitur de Lucullo pro Archia Poeta. *Adest vir summa auctoritate, & religione, & fide L. Lucullus, qui se non opinari, sed scire; non audivisse, sed vidisse; non interfuisse, sed egisse dicit.* -- Ad testium vero fidem infirmandam plura inducit pro Flacco. *At a testibus læditur. Antequam dico a quibus, qua spe, qua re concitatis, qua levitate, qua egestate, qua perfidia, qua audacia præditis; dicam de genere universi.* Et infra: *At quos testes? Græcos* -- ubi plura ad istorum fidem extenuandum. Tum quæ sint probanda in testibus, indicat, & deinde contraria opponit Græcis. *Qui autem dicit testimonium ex nostris hominibus, ut se ipse sustentat? ut omnia verba moderatur? ut timet, ne quid cupide, ne quid iracunde, ne quid*

quid plus, minusve, quam sit necesse dicat? Num illos idem putatis? quibus jus jurandum jocus est, testimonium ludus, existimatio vestra tenebræ; laus, merces, gratia, gratulatio proposita est omnis in impudenti mendacio. Plurima ibidem hac ipsa de re invenietis.

Jam ut expediam, quæ ad genus judiciale vel tantum, vel certe potissimum pertinent; sequitur voluntas, ad quam præsertim referuntur testamenta, pacta, promissa, & hujusmodi, quibus vel extremam, vel constantem voluntatem homines testantur suam; atque id, quod decernunt, ratum volunt. Hominis etiam oratio locum obtinet humani testimonii; eaque vel est libera, quum sponte a nemine inductus, a nemine impulsus quidpiam aliquis fatetur, aut testatur, aut confirmat; vel est coacta, quum aut timore, aut minis, aut tormentis vox elicitur. Jam ea, quæ hinc sequuntur, percurramus.

Præjudicia sunt judicia jam habita, seu decreta, lataque sententiæ in eadem, seu simili caussa. Hæc quidem valent plurimum in omni judicio; ac tantum, ut nihil ferme requiratur præterea ad quidpiam in quovis magistratu decernendum. Alias tamen id ipsum ex justa caussa improbatur. Unde Cicero pro A. Cluentio Habito. *Antequam de ipsa caussa dicere incipio, hoc postulo; primum id, quod æquissimum est, ut ne quid huc præjudicati afferatis. etenim non modo auctoritatem, sed etiam nomen judicum amittemus, nisi hic ex ipsis caussis judicabimus; ac si ad caussas judicia jam facta domo deferemus.* Qua iterum, ac sæpe in eadem caussa utitur deprecatione.

Seri-

Scripta, seu tabulæ sunt, quæ proferuntur, scripto exarata ad faciendam fidem monumenta, sive publica sint, sive privata. His sæpe res agitur tota, quum sive ad reum convincendum, sive ad cujusquam facinus promendum, vel animum significandum, alicujus personæ, vel civitatis scripta proferuntur, quibus fides negari non potest. Ita in Cat. III. *Ac ne longum sit, Quirites, tabellas proferri jussimus, quæ a quoque dicebantur datæ. Primum ostendimus Cethego: Signum cognovit, nos linum incidimus; legimus: erat scriptum ipsius manu. -- Introductus est Statilius: cognovit & signum, & manum suam: recitatæ sunt tabellæ in eamdem fere sententiam: confessus est. Tum ostendi tabellas Lentulo, & quæsivi, cognosceret ne signum? annuit.* Sic pergit; tum subdit. *Ac mihi quidem, Quirites, quum mihi certissima visa sunt argumenta, atque indicia sceleris tabellæ, signa, manus, denique uniuscujusque confessio; tum multo illa certiora color, oculi, vultus, taciturnitas.*

Fama etiam vulgi, seu rumor est quoddam multitudinis testimonium: Quamvis vero hæc sæpe ex levi, aut etiam falsa opinione, seu oratione imperitorum concitetur: quum tamen multitudinem occupavit, vix illam veritas refutare potest. Solet etiam is rumor adduci aliquando ad rem ipsam amplificandam. Pro Lege Man. *Quæ* (calamitas) *tanta fuit, ut eam ad aures L. Luculli, non ex prœlio nuncius, sed ex sermone rumor afferret.*

Tormenta, seu quæstiones, aut quæsita, sunt cruciatus, quibus veritas extorquetur a reo.

Nam

Nam & verberibus, tormentis, igni fatigati quæ dicunt; ea videtur veritas ipsa dicere. Hinc illa: *Sed quæstiones urgent Milonem*. & Pro A. Cluentio Habito de Sassia. *Quæstionem haberi de viri morte constituit .... tormentis omnibus vehementissimis quæritur. Quum essent animi servorum, & spe, & metu tentati, ut aliquid in quæstione dicerent; tamen ut arbitror, auctoritate advocatorum, & vi tormentorum adducti, in veritate manserunt, neque se quidquam scire dixerunt. Quæstio illa die de amicorum sententia dimissa est. Satis longo intervallo post iterum advocantur. habetur de integro quæstio; nulla vis tormentorum acerrimorum prætermittitur: aversari advocati, & jam vix ferre posse: furere crudelis, atque importuna mulier, sibi nequaquam, ut sperasset, ea, quæ cogitasset, procedere. Quum jam tortor, atque essent ipsa tormenta defessa, neque tamen illa finem facere vellet; quidam ex advocatis homo & honoribus populi ornatus, & summa virtute præditus intelligere se dixit, non id agi, ut verum inveniretur, sed ut aliquid falsi dicere cogerentur.*

Jusjurandum est affirmatio religiosa, qua Deo teste quidquam ita se habere, aut nos esse facturos, aut non facturos affirmamus. Nullum vinculum ad astringendam fidem jurejurando arctius umquam fuit, aut esse potest. Id indicant leges in XII. tabulis, indicant sacratæ, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides. Unde illud in Sex. Roscii inimicos, & accusatores: *Nonne quum multa indigna, tum vel hoc indignissimum est, vos ido-*

neos habitos, per quorum sententias, jusque jurandum id assequantur, quod antea ipsi scelere, & ferro assequi consueverunt? Jurabant siquidem judices omnes in ferenda sententia, nihil se commissuros esse contra leges.

Hæc de judiciis habete, quæ minime sunt iis negligenda, qui propositum habent ad imitandum Ciceronem. Pauca modo ad nos revocabimus, quæ sunt ex eodem loco profecta.

Primas itaque in humanis testimoniis apud nos obtinent Sancti Patres, & Christianæ Disciplinæ magistri, quorum semper exstitit in Christiana republica fides præclara, & doctrinæ, atque auctoritatis magna, & constans, & illustri opinio.

Neque tamen repudiare debemus in morali philosophia veteres illos sapientes, qui licet vera essent religione destituti, optima tamen vitæ præcepta, natura duce, & indito rectæ rationis lumine tradiderunt, præclareque de vitiis, & virtutibus disputarunt, quorum sententiæ definitiones, divisionesque a sacris etiam auctoribus, qui postea floruerunt, summa consensione sunt receptæ.

Magnæ, & certæ videntur auctoritatis etiam proverbia, quorum sententiis, quum omnis hominum multitudo omni tempore assenserit, repugnare vel dementissime videretur audaciæ, vel impudentissimæ stultitiæ. Ut autem ex Cicerone simul constet illorum fides, & ratio eadem indicandi; sic ille lib. Officiorum I. *Ex quo illud, summum jus summa injuria, factum est jam tritum sermone proverbium*: & II. *Omnino meminisse debemus id, quod a nostris hominibus sæpissime usurpatum, jamque in proverbii*

con-

consuetudinem venit: *Largitionem fundum non habere*. In Catone Majore: *Pares cum paribus, veteri proverbio, facillime congregantur*.

Quæ legibus etiam constituta sunt, & recti, & æqui speciem, veramque rationem præ se ferunt, nemo potest repudiare. Sed majores aliud jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt: quod enim civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet.

Non raro etiam & oratores, & philosophi, & poetæ, & historici alicujus nominis in medium proferuntur, ex quorum & dictis, & scriptis sæpe auctoritas petitur ad faciendam, vel roborandam fidem, sæpe lumina sumuntur ad orationem illustrandam.

Nec dubitandum, quin ex sapientum institutis, & consensione liceat etiam argumenta concludere. Sic pro Sex. Roscio: *L. Cassius ille, quem populus Romanus verissimum, & sapientissimum judicem putabat, identidem in caussis quærere solebat*: Cui bono fuisset. *Sic vita hominum est, ut ad malificium nemo conetur sine spe, atque emolumento accedere*. Ex eodem Cassiano principio ita pro Milone: *Itaque illud Cassianum*: Cui bono fuerit, *in his personis valeat*.

Ad mores etiam hominum exprimendos utitur aliquando Tullius Comicis poetis; ut pro Cœlio prope ludens. *Redeo nunc ad te, Cœli, vicissim, ac mihi auctoritatem patriam, severitatemq. suscipio. Sed dubito, quem patrem potissimum sumam. Cæcilianum ne aliquem vehementem, atque durum?*

" Nunc

„ Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur ira. „ *aut illum*,
„ O infelix, o fcelefte. *Ferrei funt ifti patres*:
„ Ego ne quid dicam? ego quid velim? quæ tu omnia
„ Tuis fœdis factis facis, ut ne quidquam velim.

Poft aliqua. *Leni vero, & clementi patri, cujufmodi ille eft*,
„ Fores effregit? reftituentur. difcidit
„ Veftem? refarcietur, *Cælii cauffa effet expeditiffima*.

Reliquum effet, ut aliquot ex noftro auctore colligerem dicendi modos, quibus utitur ad aliorum fententias, quum opus eft, inducendas. Verum hac de re vel ipfa fententia, vel ejus auctor, quid fit magis accommodatum, five ad laudem fcriptoris, five ad lumen fententiæ, poterit fuppeditare: Quum alioquin nihil fit moleftius, nihi infulfius quibufdam dicendi formulis longius petitis, atque ad rem omnem, & omnem auctorem comparatis. Debent itaque cujufque rei, & auctoris effe propria hæc, quibus folent teftimonia communiri, vel commendari. ne tamen exemplis parcam, deligam aliqua ex Tullio, quæ aliis etiam in rebus, & aliis auctoribus jure, & appofite poterunt accommodari.

Quem quidem locum cum multa venuftate, & omni fale idem Lucillus, apud quem præclare Scævola. -- *Hoc dixerit potius Ennius*: „ Nimium boni eft, cui nihil eft mali. -- *Nofti credo illud*: ..

Nemo

Nemo pius eſt, qui pietatem cavet. -- *Nec male Euripides. concludam ſi potero Latine. Græcum enim hunc verſum noſtis omnes.*

„ Suavis eſt laborum præteritorum memoria. *Itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens... Ut apud Accium eſt. -- Sed quæ tandem eſt iſta ſententia? -- Unde ergo illud? -- Quid ille dux Leonidas dicit? -- Qua eſt uſus ſententia in Creſphonte Euripides -- Nec abſurdo Crantor ille -- Ex hoc & illa jure laudantur -- Ergo hoc Terentius a philoſophia ſumptum quum tam commode dixerit, nos, e quorum fontibus id hauſtum eſt, non & dicemus hoc melius, & conſtantius ſentiemus? --*

Itaque probe definitur a Stoicis fortitudo -- De quo præclare apud Platonem eſt -- Scite enim Euripides. -- De quibus in illa aureola oratiuncula dicit Lælius -- Eſt non magnus, verum aureolus, & ad verbum ediſcendus Crantoris libellus. -- Apud Xenophontem quærit Socrates -- Multas ad res perutiles Xenophontis libri ſunt, quos legite quæſo ſtudioſe. Quam copioſe ab eo laudatur....

Sed ut finem faciam, neque plura perſcribam, quæ quiſque poterit invenire; unum addere ſatis erit, & ſupra: Vel ipſum nempe Ciceronem, quum res poſtulat, aliquid adjungere ſolere, quod eſt vel ſcriptoris, vel teſtimonii omnino proprium, & peculiare; ſed negligere ſæpiſſime (nec dubito, quin de induſtria) in iis indicandis ſtudium nimis exquiſitum, & varietatem elaboratam; unde ſæpiſſime occurrunt, *ut ait Plato; ut præclare Ennius -- ut eſt apud Ariſtotelem*, & ſimilia.

DE AMPLIFICATIONE

LIBER IV.

De Amplificationis usu per Locos.

CAP. I.

De Amplificatione, quæ verborum genere conficitur, egimus ante, quam de locis loqueremur: de illa, quæ rerum copia comparatur, dicta sunt omnia, quæ de locis disputavimus. Illud superest, ut de hujus amplificationis usu per locos aliqua tradamus. Postquam igitur rerum omnium, quæ latent absconditæ locos habemus satis perspectos, non erit difficile, quum erit aliquid amplificandum, & pervestigare, & invenire locum, ex quo petenda sit omnis copia. Ex quo enim loco duci amplificatio debeat in re proposita, non est artis exquisitæ præscribere, sed est mediocris ingenii judicare. His itaque locis in mente, & cogitatione defixis, & in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil erit, quod oratorem affugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi.

Verum etsi omnes loci sunt omnium disputationum, ad copiam suppeditandam, & rationes; tamen aliis disputationibus abundantius occurrunt, aliis angustius. Quare non ita singuli pertentandi sunt, ut ex singulis in qualibet re ampli-

plificationem eruas; verum ut quæras ex omnibus aptiora; & judicium adhibeas, ut levia semper rejicias, nonnunquam etiam communia prætermittas, & non necessaria. Ex locis denique copiam haurias oportet, quæ sponte fluat, ac prope naturalibus opibus, non longius petitis, nec peregrinis, rem ipsam ornet, ac locupletet. Videndum etiam diligenter, quænam res, & quatenus amplificari debeat. nam quemadmodum jejunitas, & siccitas, & inopia exilis, inculta, & horrida est maxime in oratione fugienda; ita nimis affluens redundantia, ac tumor, & fucus, & tumultus verborum, & sententiarum, quæ rem non tam ornent, quam obruant, quæque vel extra propositum, vel minus ad rem sint inductæ, amplificandi gratia, nemini diserto probabitur.

Non equidem negaverim in adolescentibus hæc paullo nimium redundantia esse non modo ferenda, verum etiam laudanda. Vult enim ipse Cicero, se efferat in adolescentia fecunditas. nam facilius, sicut in vitibus, resecantur ea, quæ se se nimium profuderunt, quam, si nihil valet materies, cultura excitentur. Ita vult esse in adolescente, unde aliquid amputet. Non enim potest esse in eo succus diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem consecutum.

Primum itaq. perlustranda res est, quam volumus amplificare; si, quid ea sit, explicari sit opus, definitionibus utendum erit; si res tota, si genus occurrat, tum mira nascetur copia ex ipsa totius, seu generis tractatione, & in partes, seu species divisione, aut partitione. Si de parte sit disputandum, ad genus erit tradu-

 cenda.

cenda. Si par, si majus, si minus, si simile in contentionem venit, tum locus erit comparationi, aut similitudini. Si vocabulum quod habeat, aut quidpiam, quod rem illam attingat; ad notationem, adjuncta, antecedentia, consequentia, & hujusmodi erit confugiendum. Ubicunque locum habent, maxime valent ad amplificandum, definitiones conglobatæ, & consequentium frequentatio, & contrariarum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictio, & caussæ, & ea, quæ sunt de caussis orta, maximeque similitudines, & exempla: fictæ etiam personæ; muta denique loquantur.

Verum, ut, qui sunt magis obvii, ad usum indigitentur loci, definitione nihil frequentius occurrit in amplificationibus. Hoc enim loco, quod latet uno verbo inclusum, educitur, & expromitur, ad vim, ad ornatum, ad amplificationem. Id licet infinitis prope locis deprehendere.

Clodium quam sæpe hac ratione describit? Pro Sextio. *At ille nefarius ex omnium scelerum colluvione natus* -- & statim. *Hanc tetram immanemque belluam, vinctam auspiciis, alligatam more majorum, constrictam legum sacratarum catenis solvit subito legum vinculis consul.* In Pisonem sic idem Clodius definitur. *Animal ex nefariis stupris, ex civili cruore, ex omnium scelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum.* Antonium Phil. III. ita describit. *Quid est in Antonio præter libidinem, crudelitatem, petulantiam: ex his totus conglutinatus est.* Sæpe etiam definitiones conglobantur. Per has definitiones ostendit Cicero, se auxilium

lium Pisonis minime quæsivisse: sic in ipsum loquitur. *Ego istius pecudis, ac putidæ carnis consilio scilicet, aut præsidio niti volebam: ab hoc ejecto cadavere, quidquam mihi aut opis, aut ornamenti exspectabam: consulem ego tum requirebam, consulem, inquam, non illum quidem, quem in hoc animali invenire non possem, qui tantam reip. caussam gravitate, & consilio suo tueretur; sed qui tamquam truncus, atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus.*

Verum quin plura de hoc loco ejusque in amplificatione usu & frequenti, & præclaro hic repetam, in mentem revoca, quæ de variis definitionum generibus suo loco tractavimus.

Licet etiam in Cicerone animadvertere, quam sæpe utatur enumeratione partium. Quotiescunque enim in alicujus rei commemorationem defertur, qua possit oratio vim acquirere, mirum est, quam varie, & quanta ubertate in ea insistat, & huc illam verset, atque illuc; quam diligenter illam evolvat, & partes exploret omnes, atque hac ratione rem ipsam augeat, & in oculis magis, atque animis defigat. In Cat. IV. quoties commemorat conjuratorum consilium contra rempublicam, toties rem subjicit acerbiorem enumeratione partium. *Alter* (D. Silanus) *eos, qui nos omnes, qui populum Romanum vita privare conati sunt, qui delere imperium, qui populi R. nomen extinguere, punctum temporis frui vita, & hoc communi spiritu non putat oportere.* In eadem: *Sic nos in iis hominibus, qui nos, qui conjuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt; qui singulas uniuscujus-*

cujusque nostrum domos, & hoc universum reip. domicilium delere conati sunt; qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in vestigiis hujus urbis, atque in cinere deflagrati imperii collocarent, si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur. Tum de Lentulo. *Hic ad evertenda fundamenta reip. Gallos accersivit, servitia concitavit, Catilinam evocavit, attribuit nos trucidandos Cethego, ceteros cives interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Cassio, totam Italiam vastandam, diripiendamque Catilinæ*. Ac statim. *Omnes adsunt, omnium ordinum homines, omnium denique ætatum: plenum est forum, pleni omnes aditus hujus loci, ac templi. Caussa enim est post urbem conditam hæc inventa sola, in qua omnes sentirent unum atque idem, præter eos, qui quum sibi viderent esse pereundum, cum omnibus potius, quam soli perire voluerunt. Hosce ego homines excipio, & secerno libenter .... Ceteri vero, Dii immortales, qua frequentia, quo studio, qua virtute, ad communem dignitatem salutemque consentiunt? Quid ego hic equites R. commemorem, qui vobis ita summa ordinis consiliique concedunt, ut vobiscum de amore reip. certent .... Pari studio defendendæ reip. convenisse video tribunos ærarios, fortissimos viros, scribas item universos .... Omnis ingenuorum adest multitudo, etiam tenuissimorum. Quis est enim, cui non hæc templa, aspectus urbis, possessio libertatis, lux denique hæc ipsa, & hoc commune patriæ solum, quum sit carum, tum vero dulce, atque jucundum? Operæ pretium est, P. C., libertinorum hominum studia cognoscere, qui sua vir-*

virtute fortunam civitatis secuti, hanc vere suam patriam esse judicant .... Sed quid ego hujusce ordinis homines commemorem? quos privatæ fortunæ, quos communis resp., quos denique libertas ea, quæ dulcissima est, ad salutem patriæ defendendam excitavit. Servus est nemo, qui modo tolerabili conditione sit servitutis, qui non audaciam civium perditorum perhorrescat, qui non obstare cupiat, qui non tantum, quantum audet, & quantum potest, conferat ad communis salutis voluntatem.

Unde illa in eadem? nonne ex enumeratione? *Quapropter de summa salute vestra, populique Romani, P. C., de vestris conjugibus, ac liberis; de aris, ac focis; de fanis, ac templis; de totius urbis tectis, ac sedibus; de imperio, de libertate, de salute Italiæ, deque universa rep. decernite diligenter, ut instituistis, ac fortiter.* Vide quam uberem copiam afferat, & quam variam is locus in una oratione; atque hinc disce, quum occurrit aliquid hujusmodi, illud in suas partes distribuere, & amplificatione ornare.

Verum quam hæc ipsa exemplis declarata sunt, ubi de Partium enumeratione egimus? Itaque quidem & ceterorum locorum huc possemus copiam adducere. Sed satis sit de iis suis in sedibus egisse.

Sive huc tamen, sive ad amplificationem per verba sit referendum, præterire non possum, quod ad dicendi copiam, & laudem eloquentiæ maxime pertinet. Est autem amplificatio, sive expolitio, quæ constat ex ejusdem sententiæ repetitione variis dicendi modis pro rei opportunitate ad ornatum, & venustatem explicatæ.

Plura potes hujusmodi in Ciceronis exemplis recognoscere. Unum & brevius hic subjicere sit satis. Id sumo ex lib. II. de Natura D. *Sed stomachabatur senex, si quid asperius dixeram: quum Epicurus contumeliosissime Aristotelem vexarit; Phædoni Socratico turpissime maledixerit; Metrodori Sodalis sui fratrem Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis voluminibus conciderit; in Democritum ipsum, quem secutus est, fuerit ingratus; Nausiphanem, magistrum suum, a quo nihil non didicerat, tam male acceperit.*

Id etiam lubet adjungere, quod licet ad copiam videatur exiguum, est tamen ad vim amplificationis aptissimum, atque ideo a Cicerone sæpius usurpatum. Id est ratio quædam peculiaris rei per incrementum, sive perquamdam progressionem, augendæ. Sunt hujusmodi illa in Verrem lib. II. Act. 11. De Sthenio a Verre sine crimine, & sine accusatore damnato. *Quem hominem, Dii immortales! non dicam amicum tuum, quod apud homines carissimum est; non hospitem, quod sanctissimum est.* et c. Infra de Verris statuis infamiæ caussa dejectis. *Quanta illuc multitudo, quanta vis hominum convenisse dicebatur tum, quum statuæ sunt illius dejectæ, atque eversæ? at quo loco? celeberrimo, ac religiosissimo.* Sic sæpe invenies apud Ciceronem.

De

De Diminutione.

CAP. II.

AMplificatio non solum valet ad augendum aliquid, & tollendum altius dicendo; sed etiam ad extenuandum, atque abjiciendum. Quare diserti, & eloquentis est, tum amplificare rem ornando, tum ipsam minuere oratione, prout res ipsa postulabit. Postquam igitur de amplificatione diximus plura; nunc aliquid de extenuatione, sive diminutione dicendum esse videtur. Quid ea sit, jam satis constat, si tamen lubeat eam definire:

Diminutio, sive extenuatio est ars, qua ex magnis parva fiunt; sive est oratio, qua rebus vel vera magnitudo, vel afficta detrahitur. Hac utimur tum in refellendis adversariorum argumentis, quum ea negare non possumus; tum in explanandis difficultatibus, quæ possunt animos deterrere auditorum ab ea deliberatione capienda, quam Orator nititur persuadere: tum in rebus deprimendis, abjiciendisque, quæ plus, quam par est, aut nobis expediat, efferuntur, & vulgo solent jactari.

Ex eisdem tamen locis quibus utimur ad amplificandum, ducitur extenuatio, sive diminutio. Itaque Cicero (ut a morum disciplina incipiamus) ad leniendum dolorem, atque ad ejus vim extenuandam utitur legum auctoritate, & exemplis lib. I. Tusc. qq. *Cretum quidem leges, quas sive Jupiter, sive Minos sanxit, de Jovis quidem sententia, ut poetæ ferunt;*

runt, itemque Lycurgi, laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando. Spartae vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus e visceribus sanguis exeat, nonunquam etiam, ut, quum ibi essem, audiebam, ad necem: quorum non modo nemo exclamavit umquam, sed ne ingemuit quidem. Quid ergo? hoc pueri possunt, viri non poterunt? & quod mos valet, ratio non valebit? Plura ibi disputat hac ipsa de re. Addit. *Consuetudinis magna vis est: pernoctant venatores in nive; in montibus uri se patiuntur. inde pugiles caestibus contusi, ne ingemiscunt quidem. sed quid hos, quibus Olympiorum victoria consulatus ille antiquus videtur? gladiatores, aut perditi homines, aut barbari, quas plagas perferunt? quo modo illi, qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt, quam turpiter vitare?* Progreditur longius: concludit deinde: *Tune, quum pueros Lacedaemone, adolescentes Olympiae, barbaros in arena videris excipientes gravissimas plagas, & ferentes silentio, si te forte dolor aliquis pervellerit, exclamabis, ut mulier? non constanter, & sedate feres? Ferri non potest: natura non patitur. Audio. pueri ferunt gloria ducti, ferunt pudore alii, multi metu: & tamen veremur, ut hoc, quod a tam multis, & quod tot locis perferatur, natura non patiatur? Illa vero non modo patitur, verum etiam postulat: nihil enim habet praestantius, nihil quod magis expetat, quam honestatem, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. hisce ego pluribus nominibus unam rem declarari volo, sed*

utor,

utor, ut quammaxime significem, pluribus.

Idem lib. III. ab effectis, sive a consequentibus præmeditationem ostendit plurimum valere ad leviores efficiendos casus adversos, nosque contra ipsos forti robore muniendos. *Principio male reprehendunt* (Epicurei) *præmeditationem rerum futurarum. nihil est enim, quod tam obtundat, elevetque ægritudinem, quam perpetua in omni vita cogitatio, nihil esse, quod accidere non possit; quam meditatio conditionis humanæ, quam vitæ lex, commentatioque parendi: quæ non hoc affert, ut semper mæreamus, sed ut numquam. neque enim, qui rerum naturam, qui vitæ varietatem, qui imbecillitatem generis humani cogitat, mœret, quum hæc cogitat; sed tum vel maximæ sapientiæ fungitur munere: utrumque enim consequitur, ut & considerandis rebus humanis propria philosophiæ fruatur officio, & adversis casibus triplici consolatione sanetur; primum, quod posse accidere, diu cogitaverit; quæ cogitatio una maxime molestias omnes extenuat, & diluit; deinde quod humana ferenda intelligit; postremo quod videt nullum malum esse nisi culpam; culpam autem nullam esse, quum id quod ab homine non potuerit præstari, evenerit.*

Mirum est, quam artificiose Cicero in Oratione pro L. Murena conetur extenuare nomen, & facultatem Jurisconsultorum, qua Servius Sulpicius Murenæ accusator præstabat, & multum fidere videbatur, tum auctoritatem M. Catonis Sulpicii subscriptoris imminuere, ejusque Stoicam disciplinam deludere studeat. In Sulpicium ea disputat. *Et quoniam mihi videris*

istam

istam scientiam juris tamquam filiolam osculari tuam, non patiar te in tanto errore versari, ut istud nescio quid, quod tantopere didicisti, praeclarum esse aliquid arbitrere. aliis ego te virtutibus continentiae, gravitatis, justitiae, fidei, ceteris omnibus consulatu, & omni honore semper dignissimum judicavi: quod quidem jus civile didicisti, non dicam operam perdidisti, sed illud dicam, nullam esse in illa disciplina munitam ad consulatum viam.... Primum dignitas in tam tenui scientia, quae potest esse? res enim sunt parvae, prope in singulis litteris, atque interpunctionibus verborum occupatae. deinde etiamsi quid apud majores nostros fuit in isto studio admirationis, id, enunciatis vestris mysteriis, totum est contemptum, & abjectum. Pergit versans in omnem partem hanc juris peritiam: Adjungit. *Itaq. si mihi homini vehementer occupato stomachum moveritis; triduo me jurisconsultum profitebor. etenim quae de scripto aguntur, scripta sunt omnia: neque tamen quidquam tam anguste scriptum est, quo ego non possim, qua de re agitur, non addere. quae consuluntur autem, minimo periculo respondentur. si id, quod oportet, responderis, idem videare respondisse, quod Servius: sin aliter, etiam controversum jus nosse, & tractare videare.* Eo rem deducit hac arte, ac tam festive jurisconsultorum deprimit facultatem, ut Cato ipse, qui aderat, dixerit id, quod in Plutarco legimus: *Dii boni, quam ridiculum consulem habemus!*

Catonis etiam auctoritatem in hac ipsa caussa imminuere conatur, ne Murenae noceat; sed vide

vide quanto artificio. *Nam si quis hoc forte dicet, Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi prius de caussa judicasset; iniquam legem, judices, & miseram conditionem instituet periculis hominum, si existimabit, judicium accusatoris in reum pro aliquo præjudicio valere oportere. Ego tuum consilium, Cato, propter singulare animi mei de tua virtute judicium, vituperare non audeo: nonnulla in te forsitan conformare, & leviter emendare possim. non multa peccas, inquit ille fortissimo viro senior magister: sed, si peccas, te regere possum. at ego te verissime dixerim peccare nihil, neque ulla in re, te esse hujusmodi, ut corrigendus potius, quam leviter inflectendus esse videare. Finxit enim te ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, justitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem, & excelsum: accessit his tot doctrina non moderata, nec mitis, sed ut mihi videtur, paullo asperior, & durior, quam aut veritas, aut natura patiatur.*

Aliter etiam sumitur diminutio ab auctore ad Herennium, atque ita definitur simul, & explicatur.

Diminutio est, quum aliquid esse in nobis, atque in iis quos defendimus, aut natura, aut fortuna, aut industria dicemus egregium: quod, ne qua significetur arrogans ostentatio, diminuitur, & attenuatur oratione, hoc modo. Nam hoc pro meo jure, judices, dico, me labore, & industria curasse, ut disciplinam militarem, non in postremis tenerem. Hic si quis dixisset, ut optime tenerem, tametsi vere dixisset, arrogans visus esset.

Ini-

Initium exordii Ciceronis pro Archia poeta hac diminutione elaboratum est. *Si quid est in me ingenii, judices, quod sentio, quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum*... etc. Pro L. Murena de Oratoris facultate: *In qua re si satis profecissem, parcius de ejus laude dicerem: nunc nihil de me dico; sed de iis, qui in dicendo magni sunt, aut fuerunt*.

*Ex lib.*III. *de Orat. cap.* XXVI. -- *ex Orat. c.* XXXVI., & LX. *Ad Herenn. lib.* IV. *c.* XXXVIII.

De Descriptione.
Quid ea sit. quot ejus species in usum veniant oratorium.

CAP. III.

D*Escriptio est illustris rei cujuslibet imago, sive rerum sub aspectum pene subiectio*. Valet hæc plurimum in re exponenda, & ad illustrandum id, quod exponitur; & ad amplificandum; ut iis, qui audiunt, illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur. Nec dubitandum, quin summa descriptionis laus in eo sit posita, ut, quod describit, ad vivum exprimat, atque ita propriis coloribus pingat, aptisque lineamentis conformet, ut in oculis auditorum, & in animis rei imaginem defigat.

In quatuor species illam dividemus; non quod necesse sit, quum satis omnes intelligantur sub

ge-

generali descriptionis notione; sed ut liceat sub distinctis capitibus plura exempla recensere. In corporum itaque animantium, in morum, seu hominum vitæ, in locurum, & rerum descriptiones tota erit distributio.

Ex lib. III. *de Orat. c.* LIII. *Ex Orat. c.* LX.

De Corporum descriptione.

CAP. IV.

Corporis humani, sive exterioris hominis, & cultus discriptio est ejusdem verbis expressa, seu picta oratione imago. Hæc sæpe inducitur; sed quum semper inducatur ob aliquem finem; ad hunc etiam omnia illius lineamenta solent efformari: hinc fere ad laudem, vel ad probrum; sæpe ad odium, sæpe ad commiserationem comparantur.

Plures hujsmodi imagines subjicit Cicero; sed nihil tetrius solet repræsentare aspectu Clodii, Gabinii, Pisonis. Pisonem hoc vultu depingit in Orat. pro Sextio. *Alter, o Dii boni. quam teter incedebat, quam terribili aspectu! unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reip. diceres intueri. vestitus aspere, nostra hac purpura plebeja, ac pene fusca, capillo ita horrido, ut Capua, in quo ipse tum imaginis formandæ caussa duumviratum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur. nam quid ego de supercilio dicam, quod tum hominibus non supercilium, sed*

ſed pignus reip. videbatur? tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo ſupercilio reſpublica, tamquam Atlante cælum, niti videretur. Erat denique hic omnium ſermo. Eſt tamen reip. magnum, firmumque ſubſidium. etc.

Alterum Conſulem ita deſcribit in Piſonem: *Gabinium denique ſi vidiſſent, duuvirum veſtri illi unguentarii citius agnoviſſent: erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes, ceruſſatæque buccæ.* In Orat. II. de Lege Agraria P. Rullum ſic pingit. *Jam deſignatus alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur, veſtitu obſoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior, quam ante, barbaque majore; ut oculis, & aſpectu denunciare omnibus vim tribuniciam, & minitari reip. videretur.*

Verum quum apud Oratores fere ad animum, moreſque indicandos hujuſmodi aſſumantur deſcriptiones, de his erit ſermo in cap. ſequenti.

Corporis nomen, quod latiſſimè patet, quin ex animantium genere diſcedamus, poterimus etiam in brutis conſiderare, & eorum aliquid ex noſtro auctore lib. II. de Nat. proferre. Itaque hæc prius generatim. *Animantium vero quanta varietas eſt? quanta ad eam rem vis, ut in ſuo quæque genere permaneant? quarum aliæ coriis tectæ ſunt, aliæ villis veſtitæ, aliæ ſpinis hirſutæ: pluma alias, alias ſquama videmus obductas; alias eſſe cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. Paſtum autem animantibus large, & copioſè natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit.*

Enu-

Enumerare possum ad eum pastum capessendum, conficiendumque, quæ sit in figuris animantium, & quam solers, subtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum. omnia enim, quæ quidem intus inclusa sunt, ita nata, atque ita locata sunt, ut nihil eorum supervacaneum sit, nihil ad vitam retinendam non necessarium.

Plura subdit in animantibus providentissimæ naturæ opera: unum deligam, quod ita exponit. *Illud vero ab Aristotele animadversum, a quo pleraque quis potest non mirari? Grues quum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam: ejus autem summo angulo aer ab iis adversus pellitur: deinde sensim ab utroq. latere, tamquam remis, ita pennis cursus avium levatur. Basis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tamquam a puppi, ventis adjuvatur: hæque in tergo prævolantium colla, & capita reponunt. Quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet, ubi nitatur, revolat, ut ipse quoque quiescat. In ejus locum succedit ex iis, quæ acquierunt: eaque vicissitudo in omni cursu servatur.*

De Morum, sive de hominis vitæ Descriptione.

CAP. V.

SÆpe orator hac uti debet descriptione, qua mores, vitamque hominum oculis auditorum subjiciat. De hac modo sumus locuti,

ri, quam *Etopœjam* Græco nomine appellant. *Est autem hæc morum descriptio diligens, & apta vitæ cujusquam, & naturæ imitatio*. Tum vero hæc præstat, quum ita rem exprimit, ut ea prope oculis cerni videatur. De hac sive demonstratione, sive evidentia, quam Græci *Hypotyposin* vocant in Figuris aliqua diximus. nunc paullo fusiora proferemus ex Cicerone exempla.

Nihil potest afferri hoc in genere absolutius illa Catilinæ imagine, quam habet Cicero in Orat. pro M. Cœlio; *Illa vero, judices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare, quod habebat, servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, & audacia; versare suam naturam, & regere ad tempus, atque huc, & illuc torquere, & flectere; cum tristibus severe, cum remissis jucunde, cum senibus graviter, cum juventute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose vivere. Hac ille tam varia, multipliciq. natura quum omnes omnibus ex terris homines improbos, audacesque collegerat, tum etiam multos fortes viros, & bonos specie quadam virtutis assimulatæ tenebat. Neque umquam ex illo delendi hujus imperii tam sceleratus impetus extitisset, nisi tot vitiorum tanta immanitas quibusdam facilitatis, & patientiæ radicibus niteretur*.

Non est illa prætermittenda Pisonis imago, quam pro Sextio effingit, ut ostendat, quo ille improbus esset animo. *Alter multos plane in omnes partes fefellit .... quia tristem semper, quia*

quia taciturnum, quia subhorridum, atque incultum videbant; &, quod erat eo nomine, ut ingenerata familiæ frugalitas videretur, favebant, gaudebant, & ad integritatem majorum spe sua hominem vocabant materni generis obliti. Ego autem (vere hoc dicam, judices) tantum esse in homine sceleris, audaciæ, crudelitatis, quantum ipse cum rep. sensi, numquam putavi; nequam esse hominem, & levem, & falsa opinione errore hominum ab adolescentia commendatum sciebam. Etenim animus ejus vultu, flagitia parietibus tegebantur; sed hæc obstructio nec diuturna est, nec obducta ita, ut curiosis oculis perspici non possit. Videbamus genus vitæ, desidiam, inertiam; inclusas ejus libidines; qui paullo propius accesserant, intuebantur. Denique etiam sermonis ansas dabat, quibus reconditos ejus sensus tenere possemus. Laudabat homo doctus philosophos nescio quos, neque eorum tamen nomina poterat dicere; sed eos tamen laudabat maxime, qui dicuntur præter ceteros esse auctores, & laudatores voluptatis: cujus, & quo tempore, & quo modo, non quærebat: verbum ipsum omnibus modis animi, & corporis devorabat. Similem invenies in Orat. post Red. in Senatu, sed Ciceronis more, eleganti varietate pictam imaginem.

Morum imitationem, & vitæ vel in personis exprimendam esse docet Cicero, vel sine illis. in personis jam vidimus; sine illis intueamur in ambitionis sollicitudine, & metu, quem Tullius subjicit pro Milone, ubi agit de consulatus contentione. *Præsertim, judices, cum honoris amplissimi contentio, & dies comitiorum*

 su-

subesset. quo quidem tempore (scio enim quam timida sit ambitio, quantaque, & quam sollicita cupiditas consulatus) omnia non modo, quæ reprehendi palam, sed etiam, quæ obscure cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam fictam, falsam perhorrescimus; ora omnium, atque oculos intuemur. nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos, sensusque civium: qui non modo improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam in recte factis sæpe fastidiunt.

Quod si hæc etiam, quamvis generatim, videntur tamen personis accommodata; quid illa pro L. Murena in eodem fere argumento? *Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox interposita sæpe perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnumquam commutat aura rumoris. Sæpe etiam sine ulla aperta caussa fit aliud, atque existimamus; ut nonnumquam ita factum esse etiam populus admiretur; quasi vero non ipse fecerit. nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum .... Nam ut tempestates sæpe certo aliquo cæli signo commoventur, sæpe improviso, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex caussa excitantur; sic in hac comitiorum tempestate populari sæpe intelligas, quo signo commota sit; sæpe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur.*

De Loci descriptione.

CAP. VI.

Historicis hæc descriptio solet esse usitatior, quam oratoribus. Sive tamen aliquid hujusmodi historice tractandum sit, sive in oratione describendum; id præsertim conari, & eniti debemus, ut clara ante oculos pingatur loci figura. Non desunt in Cicerone pulcherrimæ, & accuratissimæ descriptiones, maxime in Verrinis, quas & ipse in hoc dicendi genere exempli caussa commemorat.

Celebris est illa lib. V. Lautumiarum. *Lautumias Syracusanas omnes audistis, plerique nostis. Opus est ingens, magnificum, regum, ac tyrannorum. totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso, & multorum operis pœnitus exciso. nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias nec fieri, nec cogitari potest.*

Quid venustius, & elegantius Ennæ descriptione? Sic se habet lib. IV. in eumdem Verrem. *Enna autem, ubi ea, quæ dico, gesta esse memorantur, est loco præcelso, atque edito, quo in summo est æquata agri planities, & aquæ perennes; tota vero omni aditu circumcisa, atque dirempta est. quam circa lacus, lucique sunt plurimi, & lectissimi flores omni tempore anni.*

Quoniam ab initio capitis historicos nominavi, lubet ex Cæsare Alexiæ descriptionem proferre, quam habet lib. VII. de B. G. *Ipsum erat opi-*

dum in colle summo, admodum edito loco, ut nisi obsidione expugnari non posse videretur: cujus collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant. ante id opidum planities circiter millia passuum tria in longitudinem patebat, reliquis ex omnibus partibus colles mediocri interjecto spatio, pari altitudinis fastigio opidum cingebant: Sub muro, quæ pars collis ad orientem spectabat, hunc omnem locum copiæ Gallorum compleverant, fossamque, & maceriam sex in altitudinem pedum perduxerant. ejus munitionis, quæ ab Romanis instituebatur, circuitus undecim mille passuum tenebat.

De rerum Descriptione.

CAP. VII.

ETsi rerum descriptiones vere sunt hactenus explicatæ; has tamen modo ab aliis secernimus, de iis præsertim acturi in hoc capite, quæ minime animantium genere continentur. Huc autem revocamus eas rerum accuratiores descriptiones, quæ sunt ex instituto sive ad delectationem, sive ad movendam in auditoribus admirationem elaboratæ.

Nihil autem est in rerum natura tam exiguum, tam expositum, quod ars dicendi non ita possit evolvere, aperire, explicare, ac demum in omnem partem versare, ut quid præclarum, & mirificum appareat. Prope infinita possum adducere a Cicerone ita descripta. De frugibus, quas omnes nasci videmus, quot; & quanta subjicit,

jicit, & exponit venustissime, quæ pauci animadvertunt? Hæc habet in Catone majore.

Quamquam me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terræ vis, ac natura delectat. quæ, quum gremio mollito, ac subacto semen sparsum excepit, primum id occæcatum cohibet; ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata est; deinde tepefactum vapore, & complexu suo diffundit, & elicit ex eo viriditatem; quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmoque erecta geniculato vaginis jam quasi pubescens includitur; e quibus quum emerserit, fundit frugem spicæ ordine structam, & contra avium minorum morsum munitur vallo aristarum. Hinc de vitibus.

Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? satiari delectatione non possum, ut meæ senectutis requietem, oblectamentumque noscatis. Omitto enim vim ipsam omnium, quæ generantur e terra, quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex ceterarum frugum, aut stirpium minutissimis seminibus tantos truncos, ramosque procreet .... Vitis quidem, quæ natura caduca est, &, nisi fulta sit, ad terram fertur, eadem, ut se erigat, claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur. quam serpentem multiplici lapsu, & erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum; ne silvescat sarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte vere in iis, quæ relicta sunt, existit tamquam ad articulos sarmentorum ea, quæ gemma dicitur, a qua oriens uva se se ostendit: quæ & succo terræ, & calore solis augescens, primo est peracerba gustui, deinde maturata dulcescit, vestitaque pampinis

nec modico tepore caret, & nimios solis defugit ardores: qua quid potest esse tum fructu lætius, tum aspectu pulchrius?

De Narratione.

CAP. VIII.

NArratio huc venit suo prope jure post descriptiones. ad has enim pertinet. Nam quid hæc tandem?

Narratio est rerum gestarum, vel ut gestarum, expositio. Sed Narrationum tria sunt genera. Unum genus est, in quo ipsa caussa, & omnis ratio controversiæ continetur. Alterum, in quo digressio aliqua extra caussam, aut criminationis, aut similitudinis, aut delectationis, non alienæ ab eo negotio, de quo agitur, aut amplificationis caussa interponitur. Tertium genus est remotum a civilibus caussis, quod delectationis caussa non inutili cum exercitatione dicitur, & scribitur. De prima Narratione, quæ civilis dicitur, hic non agimus. Ex altero, & tertio genere lubet unum illud conficere, quod in hunc locum adducimus. Quare huc volumus spectare omnem facti narrationem, quæ sive delectationis, sive amplificationis, sive demum exercitationis dicendi caussa inducitur.

Narrationis hujus nostræ partes sunt duæ, quarum altera in negotiis, seu factis, altera in personis maxime versatur. Ea quæ in negotiorum, sive factorum expositione posita est, dividitur in fabulam, historiam, argumentum.

Fa-

Fabula est, in qua nec veræ, nec verisimiles res continentur; cujusmodi sunt pleraque a poetis confica; quamquam & hæc suo in genere verisimilia esse oporteat. verum de his plura in Poeticis institutionibus. Quum tamen & hæc ficta a poetis, maxime similitudinis caussa, possint aliquando in usum orationis venire; tum licebit quidem aliquid hujusmodi in oratione usurpare, sed ita, ut omnes intelligant, quem ad finem referatur.

Qua de re, ut exemplum aliquod ex Cicerone proferamus; veram sane hominis immanitatem, & immensam avaritiam non poterat evidentius demonstrare, neque efficacius exprimere, quam hisce figmentis poetarum assumptis, lib. accusat. v. in Verrem.

At quæ erat ista libido crudelitatis exercendæ? quæ tot scelerum suscipiendorum caussa? nulla, judices, præter prædandi novam, singularemque rationem. Nam ut illi, quos a poetis accepimus, sinus quosdam obsedisse maritimos, aut aliqua promontoria, aut prærupta saxa tenuisse dicuntur, ut eos, qui essent appulsi navigiis, interficere possent; sic iste in omnia maria infestus ex omnibus Siciliæ partibus imminebat. Quæcunque navis ex Asia, ex Syria, quæ Tyro, quæ Alexandria venerat, statim certis indicibus, & custodibus tenebatur. Vectores omnes in Lautumias conjiciebantur. onera, atque merces in prætoriam domum deferebantur. Versabatur in Sicilia longo intervallo alter, non Dionysius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam insula multos, & crudeles Tyrannos) sed quoddam novum monstrum ex vetere illa immanitate,

te, quæ in iisdem locis versata esse dicitur.

Similitudinis etiam caussa illud est pro Lege Manilia sumptum ex Medeæ fuga. *Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur: quam prædicant in fuga fratris sui membra in iis locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse; ut eorum collectio dispersa, mærorque patris celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri, atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas & a majoribus acceperat, & ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Hæc dum nostri colligunt diligentius, rex ipse e manibus effugit, ita illum in persequendi studio mæror, hos lætitia retardavit.*

Videtis quemadmodum etiam fabulæ poetarum opportune inductæ narrationibus explicandis, illuminandisque inserviant. Ad hoc genus adscribunt etiam narrationes apologorum; quibus ad colloquendum vel bruta, vel res inanimes, vel promiscue ex utroque genere inducuntur, ad aliquid moralis doctrinæ ex ficta narratione vel deducendum, vel comprobandum. Potest aliquid hujusmodi etiam in oratione usurpari. Sed postquam in hoc genere scribendi plures excelluerunt; quum opus erit, præstabit ex antiquis aliquid in rem nostram assumere, quam pro libito confingere. Æsopus plurima invenit hujusmodi, & plurima his apologis complexus est optima vitæ præcepta. Hæc ab illo Græce conscripta aureo libello vere aureus Phædrus Latine reddidit, & polivit versibus senariis.

In

In plebis secessione a patribus narrat T. Livius lib. II. missum ad plebem fuisse Oratorem Menenium Agrippam, atque uno apologo ad concordiam induxisse. Sed audite Livium ipsum.
„ Is intromissus in castra, prisco illo dicendi, „ & horrido modo, nihil aliud, quam hoc, „ narrasse fertur: Tempore, quo in homine „ non, ut nunc, omnia in unum consentirent, „ sed singulis membris suum cuique consilium, „ suus sermo fuerit, indignatas reliquas par- „ tes, sua cura, suo labore, ac ministerio, „ ventri omnia quæri; ventrem in medio quie- „ tum nihil aliud quam datis voluptatibus frui; „ conspirasse deinde, ne manus ad os cibum „ ferrent, nec os acciperet datum, nec den- „ tes conficerent: hac ira dum ventrem fame „ domare vellent, ipsa una membra, totumque „ corpus ad extremam tabem venisse: inde ap- „ paruisse, ventris quoque haud segne ministe- „ rium esse, nec magis ali, quam alere eum, „ reddentem in omnes corporis partes hunc, „ quo vivimus, vigemusque, divisum pariter „ in venas, maturum confecto cibo sanguinem: „ Comparando hinc quam intestina corporis se- „ ditio similis esset iræ plebis in patres, fle- „ xisse animos. „

Argumentum est ficta res, quæ tamen fieri potuit. Hujus generis sunt, quæ in Comœdiis, sive Tragœdiis narrantur, atque aguntur, de quibus hic minime loquimur.

Historia est gesta res, ab ætatis nostræ memoria remota. Ad hanc refer cujuslibet veri facti expositionem, & omnia complecteris, quæ Narrationis nomine hic intelligimus.

Jam

Jam vero singula ut percurramus; quum in facti descriptione versamur, eam esse præcipuam narrationis virtutem existimemus, ut illa, quæ exponimus, sint vivis coloribus expressa, ut iis, qui audiunt, tum geri illa, fierique videantur; ut mores ejus, de quo narramus, ut sermo, ut vultus omnes exprimantur.

Nam illa, quæ versatur in personis, narratio ejusmodi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones, & animi perspici possint, hoc modo:

„ Venit ad me sæpe clamitans. Quid agis, Mitio?
„ Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
„ Cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris?
„ Vestitu nimio indulges, nimium ineptus es.
„ Nimium ipse durus est præter æquumque, & bonum.

Hoc in genere narrationis paullo liberioris, multa inesse debet festivitas, confecta ex rerum varietate, animorum dissimilitudine, gravitate, lenitate, spe, metu, suspicione, desiderio, dissimulatione, errore, misericordia, fortunæ commutatione, insperato incommodo, subita lætitia, jucundo exitu rerum. Tum hanc efficere suavem solent, & jucundam admirationes, exspectationes, & interpositi, rebusque accommodati motus animorum. *De Invent. lib.* I. *c.* XIX. -- II. *de Ordi. c.* LIX.

Ut ab iis incipiamus exemplis, quæ simplicem continent alicujus facti narrationem; est illa de Senectute elegans, & perpolita. In eo libro, qui

qui Œconomicus inſcribitur. *narra Socrates: Cyrum minorem regem Perſarum, præſtantem ingenio, atque imperii gloria, quum Lyſander Lacedæmonius vir ſummæ virtutis veniſſet ad eum Sardis, eique dona a ſociis attuliſſet; & ceteris in rebus comem erga Lyſandrum, atque humanum fuiſſe, & ei quemdam conſeptum agrum diligenter conſitum oſtendiſſe: Quum autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, atque puram, & ſuavitatem odorum, qui efflarentur e floribus; tum eum dixiſſe, mirari ſe non modo diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, a quo eſſent illa dimenſa, atque deſcripta: & ei Cyrum reſpondiſſe. Atqui ego iſta ſum omnia dimenſus: mei ſunt ordines, mea deſcriptio: multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ. Tum Lyſandrum intuentem ejus purpuram, & nitorem corporis, ornatumque Perſicum multo auro, multiſque gemmis, dixiſſe: Recte vero te Cyrum beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt.*

Hæc fere hiſtorico dicendi genere ſolent deſcribi. Quare huc pertinent, quæ diligentius, & enucleatius in hiſce libris enarrantur.

Jam plura in hac etiam deſcriptione internoſcere lumina poteſtis, quibus commendari narrationes, & venuſtas, & feſtivas, & ſuaves fieri audiſtis, uti ſunt colloquia, & motus animorum. Ut autem aliquam adducam maxime oratoriam, in qua & variæ deſcriptiones elegantiſſimæ, & omnis ornatus perſpici poteſt, a Verrinis minime puto diſcedendum, quæ incredibili quadam varietate dicendi ſunt admirabiles.

biles. In IV. Accusat. libro, quem ipse Cicero commemorat hisce narrationibus distinctum, inter cetera, postquam alia narravit de Verris rapacitate, & dolis, quibus ab Antiochio sibi tradi pulcherrima, & pretiosissima vasa curaverat, ita pergit in facti peculiaris narrationem, cujus etiam in ipso aditu non levem exspectationem studet movere.

Nunc reliquum, judices, attendite, de quo & vos audistis, & populus R. non nunc primum audiet: & in exteris nationibus usque ad ultimas terras pervagatum est. Candelabrum e gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum Reges hi (Antiochi Regis Syriæ filii) *quos dico, Romam quum attulissent, ut in Capitolio ponerent: quod nondum etiam perfectum templum offenderant, neque ponere potuerunt, neque vulgo ostendere, ac proferre voluerunt: ut & magnificentius videretur, quum suo tempore in cellam Jovis Optimi Maximi poneretur; & clarius, quum pulchritudo ejus recens ad oculos hominum, atque integra perveniret. statuerunt id secum in Syriam reportare: ut, quum audissent simulacrum Jovis Optimi Maximi dedicatum, legatos mitterent, qui cum ceteris rebus illud quoque eximium, atque pulcherrimum donum in Capitolium afferrent. Pervenit res ad istius aures, nescio quomodo. nam rex celatum voluerat: non quo quidquam metueret, aut suspicaretur; sed ut ne multi illud ante perciperent oculis, quam populus Romanus. Iste petit a rege, & eum plurimis verbis rogat, ut id ad se mittat: cupere se dicit inspicere, neque se aliis videndi potestatem esse facturum.*

An-

Antiochus, qui & animo puerili esset, & regio, nihil de istius improbitate suspicatus est: imperat suis, ut id in prætorium involutum quam occultissime deferrent: quo posteaquam attulerunt, involucrisque rejectis constituerunt: iste clamare cœpit dignam rem esse regno Syriæ, dignam regio munere, dignam Capitolio. Etenim erat eo splendore, qui ex clarissimis, & plurimis gemmis esse debebat; ea varietate operum, ut ars certare videretur cum copia; ea magnitudine, ut intelligi posset, non ad hominum apparatum, sed ad amplissimi templi ornamentum esse factum. quod quum satis jam perspexisse videretur, tollere incipiunt, ut referrent. Iste ait, se velle illud etiam atque etiam considerare: nequaquam se esse satiatum. jubet illos discedere, & candelabrum relinquere. Sic illi tum inanes ad Antiochum revertuntur.

Rex primo nihil metuere, nihil suspicari. dies unus, alter, plures: non referri. Tum mittit rex ad istum, si sibi videatur, ut reddat. Jubet iste posterius ad se reverti: mirum illi videri. mittit iterum, non redditur. Ipse hominem appellat, rogat, ut reddat. Os hominis, insignemque impudentiam cognoscite. Quod sciret, quod ex ipso rege audisset in Capitolio esse ponendum; quod Jovi Optimo Maximo, quod populo Romano servari videret, id sibi ut donaret, rogare, & vehementer petere cæpit. Quum ille se & religione Jovis Capitolini, & hominum existimatione impediri diceret; quod multæ nationes testes essent illius operis, ac muneris: iste homini minari acerrime cœpit. Ubi videt cum nihilo ma-

magis minis, quam precibus permoveri: repente hominem de provincia jubet ante noctem decedere. ait se comperisse, ex ejus regno piratas in Siciliam esse venturos.

Rex maximo in conventu Syracusis, in foro, ne quis forte me in crimine obscuro versari, atque affingere aliquid suspicione hominum arbitretur, in foro, inquam, Syracusis flens, ac Deos, hominesque contestans clamare cœpit, candelabrum factum e gemmis, quod in Capitolium missurus esset, quod in templo clarissimo populo Romano monumentum suæ societatis, amicitiæque esse voluisset, id sibi C. Verrem abstulisse: de ceteris operibus ex auro, & gemmis, quæ sua penes illum essent, se non laborare; hoc sibi eripi, miserum esse, & indignum: id etsi antea jam mente, & cogitatione sua, fratrisque sui consecratum esset, tamen tum se in illo conventu civium Romanorum dare, donare, dicare, consecrare Jovi Optimo Maximo, testemque ipsum Jovem suæ voluntatis, ac religionis adhibere.

Est illud genus narrationum non minus excellens, quam artificiosum, quod potissimum institutum est ad misericordiam commovendam, atque si fieri possit ad lacrimas ex oculis auditorum eliciendas. In hoc autem mirabile est artificium, ut res ipsæ ita narrentur, atque exprimantur, ut videantur non arte conquisita verba, sed a natura ipsa, & rerum acerbitate profecta. Quam excellat hac in re Cicero, non est hujus loci commemorare: unam tamen ejusdem narrationem de supplicio navarchorum, quæ legitur lib. Accusat. V. adducam, quæ ita se habet.

In-

Includuntur in carcerem condemnati: supplicium constituitur in illos, sumitur de miseris parentibus navarchorum. prohibentur adire ad filios suos; prohibentur liberis suis cibum, vestitumque ferre. Patres hi, quos videtis jacebant in limine: matresque miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberum exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret. Aderat janitor carceris, carnifex prætoris, mors, terrorque sociorum, & civium lictor Sestius, cui ex omni gemitu, doloreque certa merces comparabatur. ut adeas, tantum dabis. ut cibum tibi intro ferre liceat, tantum. nemo recusabat. Quid? ut uno ictu securis afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur, ne sæpius feriatur, ne cum sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur. etiam ob hanc caussam pecunia lictori dabatur. O magnum, atque intolerandum dolorem! o gravem, acerbamque fortunam! non vitam liberum, sed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes. atque ipsi etiam adolescentes cum Sestio de eadem plaga, & de uno illo ictu loquebantur: idque postremum parentes suos liberi orabant, ut levandi cruciatus sui gratia lictori pecunia daretur.

Hæc qui legerit, plura de narrationibus præcepta non equidem puto desideraturum. Qui plura optaret exempla, Verrinas Accusationes volutet, & præsertim IV., & V. lib. De figuris grammaticis, quæ nonnumquam narrationibus inserviunt, & videntur percommodæ, quibus sive modus temporis pro alio ponitur, *in-*

finitivus pro præterito imperfecto; vel orationis aliqua particula, & verbum præsertim, reticetur; non est necesse plura dicere. Satis enim uno in loco narrationis allatæ de rege Antiocho utraque figura deprehenditur. *Rex primo nihil metuere, nihil suspicari* -- pro *metuebat, suspicabatur*. Deinde: *dies unus, alter, plures*. ubi subauditur, *transeunt*, sive *fluunt* -- & statim: *non referri* -- pro *non referebatur*.



DE

DE RATIONE SCRIBENDARUM EPISTOLARUM

APPENDIX.

NIhil eſt quod crebrius uſuveniat in humana vita homini præſertim liberaliter educato, & officioſo, quam litteras conſcribere; ſed haud ſcio, num id, quod faciunt omnes, multi faciant ſatis commode, & eleganter. Ne itaque hanc rationem ſcribendi prætercam, quæ ſolet eſſe magis protrita; hanc Appendicem hac de re inſtitutam cenſui jam traditis præceptionibus adjiciendam. In qua quidem tradenda, & explicanda, ſequar, quoad fieri poterit, jam vobis propoſitum Magiſtrum, M. Tullium Ciceronem; ab ipſo certe numquam diſcedam. Exemplis enim, quæ in omni arte præceptis ducimus potiora, ita abundat Auctor noſter, ut nihil præterea deſiderandum ſit. Præcepta vix ea poſſumus ex Cicerone hac de re ſumere, quæ notionem Epiſtolarum ſatis claram ſubjiciant, & perſpicua quædam lumina ſuppeditent; ſed nihil præterea. Si enim divinando aliquid liceat proferre, ego quidem exiſtimo cenſuiſſe Ciceronem, hanc rationem ſcribendi totius artis dicendi quandam eſſe veluti appendiculam, quæ cujuſvis in eloquentia pro-

gressiones sponte consequeretur. Quare iis traditis, quæ ad totam dicendi artem pertinent, nihil de hac peculiari ratione tradendum censuit; cui nemo litteris excultus humanioribus admovere manum posset, qui minus id apte faceret. Neque igitur attingenda censuimus Scriptorum alioquin præstantium volumina, quæ hoc de genere scripta fuerunt. Nam & minus necessaria duximus, & huic loco minime convenire. Qui enim huc revocant tria caussarum genera, & de singulis præcipiunt, quæ cujusque sunt propria, ii mihi videntur oratorem ad Epistolas conscribendas instituere, non de Epistolis faciliora quædam tradere velle. Nos certe, qui hæc præmittimus integræ, absolutæque orationis præceptis, nihil horum huc possumus traducere. Jam vero ex instituto, quæ sunt præceptis declaranda, paucis expediamus; alia ratione, quæ credimus utiliora, exemplis ad certa capita revocabimus.

I. *Quid sit Epistola, & ad quos fines Instituta.*

PLacet in primis, quoniam omnis tractatio de Epistolis futura est, ante definire, quid sit Epistola. Omnis enim, quæ ratione suscipitur, de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disseritur. Igitur *Epistola est scriptum amicorum absentium colloquium*. Si caussas requiris, propter quas inventa fuit, ac ejus postea est usus frequentatus; huc facile referre omnes poteris, ad amicos nimirum absentes certiores faciendos, si quid est, quod eos scire, aut nostra,

aut

aut ipsorum intersit. Id sane proprium est epistolæ, ut is, ad quem scribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat. Sæpe etiam amicos sola inducit benevolentia ad scribendum, ut, qui intervallo locorum disjuncti sunt, inter se mutuo per litteras colloquantur. *Ex lib.* I. *Off.* -- *Phil.* XI. - *Epist.* IV. *lib.* II. *ad Famil.* -- I. *lib.* I. *ad Q. Frat.* -- *&* VII. *lib.* I. *ad Fam.*

II. *De Epistolarum partitione.*

EXplicato genere Epistolarum, videndum est, quæ sint hujus generis formæ, sive partes, sive species; ut in eas tribuatur omnis tractatio. Plura recensentur Epistolarum genera; sed tria commemorantur a Cicerone, ad quæ nihil dubitandum, quin omnia percommode referri possint. Primum illud est, quod jam memoravimus, & cujus caussa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset. Reliqua sunt epistolarum genera duo, unum familiare, & jocosum; alterum severum, & grave. Hanc divisionem in plura alii capita partiuntur: contrahit ad duo tantum genera Aldus Manutius, quorum alterum morale sit, alterum negotiale: ad hæc ostendit posse omnia facile revocari. Sed quis non videt eadem ratione quamlibet Epistolam sive moralem, sive negotialem vel esse jocosam, & familiarem oportere, vel gravem, & severam? Huc nos igitur cum nostro auctore recipiamus. Nihil enim modo interest hæc subtilius examinare. Quum res agenda erit per exempla, tum ita pro diversa

Epistolarum materia rem dividemus, ut cujusque generis, saltem usitatioris, & præcipua argumenta, & gratias quasdam venustiores, & elegantiores dicendi modos liceat cuique deprehendere. *Ex Epist.* IV. *lib.* II. *ad Fam.*

III. *Quo dicendi genere conscribendæ sint Epistolæ.*

Epistola nihil habet simile aut concioni, aut judicio: atque hanc docet Cicero quotidianis verbis texi oportere. Ita ipse de Latinis litteris, quas ea lingua tum Romani scribebant, quam loquebantur. Nos vero qui poterimus magis apud illos usitata, & quotidiana ab aliis secernere, quibus æque sunt omnia peregrina? Verum ita præceptionem intelligamus, ut omnia in facili quodam, ac tenui genere dicendi versentur; ut nihil exquisiti, nihil accersiti, inesse videatur. Sed quis hæc facile non intelligit? Non ita credo tam vulgarem esse hanc laudem; ut plana, & expedita quadam ratione animi quisque sui sciat, ac valeat explicare sententias. *Epist.* XX. *lib.* IX. *ad Fam.*

Neque tamen dicendi rationi, quæ convenit epistolis, is sufficit planæ cujusdam facilitatis character. nisi elegantes simul sint, & urbanæ; rusticæ sint, & rudes oportet, atque indignæ, quæ inter homines excultos humanitate scribantur.

Elegantia est, quæ facit, ut res quælibet pure, & aperte dici videatur. hæc distribuitur in Latinitatem, & explanationem. Latinitas est, quæ sermonem purum conservat ab omni vitio re-

remotum. Vitia in sermone, quo minus in Latinis sit, duo possunt esse: Solœcismus, & Barbarismus. Solœcismus est, quum verbis pluribus consequens verbum superiori non accommodatur. Barbarismus est, quum verbum aliquod vitiose effertur. Hæc qua ratione vitare possimus, in arte Grammatica dilucide discemus. -- Explanatio est, quæ reddit apertam, & dilucidam orationem. Ea comparatur duabus rebus, usitatis verbis, & propriis. Usitata sunt ea, quæ versantur in sermone, & consuetudine quotidiana: propria, quæ ejus rei verba sunt, aut esse possunt, qua de loquemur. Ab Heren. l. IV. c. XII.

Urbanitas est lepos quidam festivus ex genuina linguæ venustate proficiscens; sive est perhumani, & faceti sermonis nativa quædam festivitas. Quamquam quid est, quod diligentius hanc urbanitatem definire studeamus? quum vel ipse Tullius Bruto quærenti, qui tandem esset urbanitatis color, nescire se respondeat: ac tantum esse quemdam scire.

Erat is vernaculus quidam sapor, erat imago nativæ festivitatis, quæ Romæ nata vix aliquod extra urbis pomœria vestigium sui reperiebat. Quin etiam jam Tullii tempore tam erat Romæ e suo nitore, ac præsertim ex nativa urbanitate sermo communis dilapsus, ut ad Curium (lib. VII. ep. XXI.) scribat. *Vides enim exaruisse jam veterem urbanitatem: ut Pomponius noster suo jure possit dicere*, nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam. *Ergo is tibi, nos ei succedimus*. De hoc ipso Artico scribit Cornelius Nepos in ejus vita cap. IV. *Tanta*

ta autem suavitas erat sermonis Latini, ut appareret, in eo nativum quemdam leporem esse, non adscitum. Neminem tamen æque celebrat Tullius hac urbanitate perpolitum, ac suum Papirium Pætum, ad quem lib. IX. ep. xv. ea leguntur. *Itaque te quum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios (vere ut dicam) Crassos quoque, & Lælios videre videor. Moriar, si præter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ, & vernaculæ festivitatis agnoscere.* In hac autem eadem Epistola scripserat. *Accedunt non Attici, sed salsiores, quam illi, Atticorum, Romani veteres, atq. urbani sales. Ego autem (existimes licet, quod lubet) mirifice capior facetiis, maxime nostratibus: præsertim quum eas videam primum oblitas Latio tum, quum in urbem nostram est infusa peregrinitas.*

Neque sane mirum videri debet, ex diuturna advenarum, & peregrinorum consuetudine aboleri paullatim gratias sermonis venustiores, & induci aliquam peregrinitatem. Non enim alia de caussa lepor is, & sapor linguæ vernaculæ tenacius, & diutius retinetur a mulieribus, nisi quod ipsæ domesticum prope, & familiarem cum omni venustate retineant sermonem. Id etiam nostris temporibus in florentissima Tuscorum lingua licet cognoscere. Nemo enim retinet linguam venustioribus facetiis, & gratiis ornatam, ac meliori sapore, & sale conditam, quam Mulieres, & pueri in civitatibus: omnes vero in villis, & pagis coloni; ubi tutius abdita suum retinet nitorem, leporemque vernaculum sermo ille venustissimus.

De

De Latino quidem id ipsum prope confirmat Cicero lib. III. de Orat. cap. XII. *Facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quæ prima didicerunt.*

Hæc ego vellem eo referrent omnes, qui legerint, ut intelligant, quid hoc ipso in genere requiratur, ut quispiam excellat; neque putent, quod Cicero præcipiat quotidianis verbis texendam esse epistolam, ideo perfacile hoc modo se posse dicere: quum hæc facilitas, quæ in Epistolis commendatur, ea debeat elegantia, & urbanitate esse condita, quam florente etiam Romæ Latina eloquentia ad tam paucos redactam fuisse dolebat Cicero. Hinc quum hanc venustatem, & hunc leporem non nisi ex ejusdem Ciceronis epistolis delibare possimus, in iis volutandis diligentissime versentur necesse est, qui aliquid in hoc genere perpoliti, & elegantis moliuntur. Neque tamen arbitrentur id imitari tam esse difficile in lingua tantummodo Latina; quum idem experiamur in omni florentiori, & uberiori; atque ita in Etrusca, quæ vulgaris dicitur, ut quum plures in conscribendis epistolis hoc sermone floruerint scriptores, unum tamen hac vernacula urbanitate omnes mea quidem sententia longe præstiterit, Hannibal Carus.

IV. *De cultu Epistolarum.*

NOn est dubium, quin elegantia, & urbanitas supra explicata sit præcipuus epistolarum cultus, & ornatus. Verum hoc præcipere,

re, ut tota epiſtola ſit elegans, & urbana, perinde ſe habet, ac picturæ ſtudioſo imaginem proponere omni ex parte pulcherrimam, quin quibus eam coloribus exprimat, & ſingulas partes imitetur, antea doceatur. Etſi vero, uti demonſtratum eſt, vix arte quidquam hujuſmodi in epiſtolis declarari poſſit: ne tamen omnia prætereamus, pauca hoc loco indicabimus.

Igitur epiſtola nullum ſui proprium reſpuit cultum, & ornatum. Quod ita verum eſt, ut nullum ſit orationis lumen (Nam de locis non loquor, quum videant omnes, hinc omnem etiam epiſtolarum copiam manare oportere) quod, ſi opportune adhibeatur, & rebus accommodetur, in epiſtolam cadere concinne non poſſit. Itaque qui hæc majora lumina figurarum ab epiſtolis pœnitus expungunt, videntur mihi ſimul omnem excludere paullo graviorem materiem; vel ignorare, qua ratione illa ipſa, quæ ad inſignem ornatum in oratione adhibentur, poſſint ad tenuem epiſtolarum cultum comparari.

Ne omnia hic repetam, quæ de ornatu ſive verborum, ſive ſententiarum jam dicta fuerunt; juvat perſæpe exempla ſumpſiſſe ex Ciceronis epiſtolis. Nunc vero ſatis erit paucis id ipſum confirmare. Nihil ſane videtur magis oratorium, imo & Poeticum, quam ſenſum rebus tribuere anima motuque carentibus. Attamen quam venuſte hæc ita ſæpe inducta a Cicerone leguntur, ut nata ad feſtivam urbanitatem videantur? Sic ad Torquatum Ep. III. lib. VI. poſt arrepta ex doctrina philoſophorum ad conſolandum hominem graviſſima præcepta ſubjungit de Athenarum

rum civitate, in qua tum amicus degebat. *Sed in ea es urbe, in qua hæc, vel plura, & ornatiora parietes ipsi loqui posse videantur.* Quid autem lenius, quid humanius illo ad Dolabellam initio ep. x. I. lib. IX? *Gratulor Bajis nostris, siquidem, ut scribis, salubres repente factæ sunt: nisi forte te amant, & tibi assentantur, & tamdiu, dum tu ades, sint oblitæ sui. Quod quidem si ita est, minime mirum, cælum etiam, & terras vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere.* Ad Atticum ep. xiv. lib. I. scribens, postquam indicavit quæ capita fuerint concionis cujusdam ab se habitæ ad populum, addit: *Nosti jam in hac materia sonitus nostros. Tanti fuerunt, ut ego brevior sim, quod eos usque istinc exauditos putem.* Quid autem nisi venustatem, & gratias minime adscitas illa spirant lib. VII. ad Trebatium ep. xix. de illa Lucaniæ urbe? *Itaque ut primum Velia navigare cœpi, institui Topica Aristotelea conscribere ab ipsa urbe commonitus amantissima tui.* Et xx. *Amabilior mihi Velia fuit, quod te ab ea sensi amari.*

Translata adhibentur sæpissime, sed ea præsertim, quæ ex quotidiana consuetudine, ac prope Domi cujusque, & inter familiares debebant esse & protrita, & vernacula. Ita Curius summopere urbanus ad Ciceronem lib. VII. ep. xx. v. *Sulpitii successori nos de meliori nota commenda.* Ubi ex doliis, quæ ad internoscenda vina variis notis signabantur, sumpto verbo, significat quam sibi optaret Ciceronis commendationem. Scribentem autem M. Fabium Gallum de Catone, ejusque summis laudibus librum, qui maxime Cæsari invisus esse debebat, vide

vide quam lepide, & inopinato ab ipso opere deterreat, sumpta sententia ex iis, qui artem pingendi discentes furtim absente magistro aliquid pingere conantur, quique mox illo superveniente manum amovent e tabula, & penicillum abjiciunt. Ita ille ep. xxv. lib. XII. *Sed heus tu, manum de tabula. magister adest citius, quam putaveramus. Vereor ne in Catonium, Catoniosve.* Neque tamen obstat quidquam, quominus, re postulante, & maxime accedente festivitate quadam, etiam paullo graviora congerantur translata. Sic ep. xv. lib. IX. ad Pætum. *Catulum mihi narras, & illa tempora. Quid simile? ne mihi quidem ipsi tunc placebat, diutius abesse ab reip. custodia. sedebamus enim in puppi, clavumque tenebamus. nunc autem vix est in sentina locus.*

Atque ut ad splendidiora orationis lumina redeamus, pauca sufficiat ex IX. & X. ep. lib. XIV. ad Att. decerpere: quæ, quum pene tragica sint, & figuris vehementioribus expressa, sunt tamen iis simul vel picta, vel variata coloribus, qui epistolas maxime decent. Ac primum videte, uti vel jocos, & facetias, sine levitate scurrili admisceat. *Quæris quid arcesserim Chrysippum* (architectum:) *tabernæ mihi duæ corruerunt: reliquæ rimas agunt; itaque non solum inquilini* (novi habitatores, uti erat Cicero) *sed mures etiam* (qui ruinis imminentibus præmigrare solent) *migraverunt. Hanc ceteri calamitatem vocant, ego ne incommodum quidem. O Socrates, o Socratici viri, numquam vobis gratiam referam. Dii immortales, quam mihi ista pro nihilo! sed tamen ea ratio ædificandi initur,*

con-

consiliario quidem, & auctore Vestorio, ut hoc damnum quæstuosum sit. Hic turba magna est, eritque, ut audio (Cæsare interfecto) *major. duo quidem quasi designati consules. O Dii boni, vivit tyrannis, tyrannus occidit? ejus interfecti morte lætamur, cujus facta defendimus? Itaque quam severe nos M. Curtius accusat; ut pudeat vivere; neque injuria; nam mori millies præstitit, quam hæc pati, quæ mihi videntur habitura etiam vetustatem.* Sed initium attendite subsequentis. *Itane vero? hoc meus, & tuus Brutus egit, ut Lanuvii esset? ut Trebonius itineribus deviis proficisceretur in provinciam? ut omnia facta, scripta, dicta, promissa, cogitata Cæsaris plus valerent, quam si ipse viveret? Meministine clamare illo ipso primo Capitolino die, senatum in Capitolium a prætoribus vocari? Dii immortales, quæ tum opera effici potuerunt, lætantibus omnibus bonis, etiam sat bonis fractis latronibus? Liberalia tu accusas. quid fieri tum potuit? jampridem perieramus. meministine te clamare, caussam periisse, si funere elatus esset? at ille etiam in foro combustus, laudatusque miserabiliter: servique, & egentes in tecta nostra cum facibus immissi: quæ deinde? ut audeant dicere, Tune contra Cæsaris nutum? hæc & alia ferre non possum.* Quæ hic desunt ad motus animorum, & ad amplificationem, & vim figuræ?

Sed hæc admiremur in Cicerone; nos faciliora persequamur. atque illum præsertim emicantem nitorem imitemur, qui summopere in epistolis delectat; & vivam animi nostri imaginem, sensusq. mentis urbane, festive, ac quum res

ferunt, etiam facere aperiamus. Nihil ſane vel deſiderabit, vel aliunde ſibi comparandum cenſebit, qui uni Ciceroni operam dabit. Nuſquam enim melius, apertiuſq. licet totum ejus animum intueri, quam in ejus epiſtolis. Quum vero eſt opus, ita etiam aliorum ſubjicit imagines, ut nihil efficere pictura tam perſpicuum, & perfectum valeat. Inſtar omnium ſit, quam habet lib. I. ad Att. ep. XIII. de M. Piſone. *Conſul autem ipſe parvo animo, & pravo, tantum cavillator genere illo moroſo, quod etiam ſine dicacitate ridetur, facie magis, quam facetiis ridiculus, nihil agens cum republica, ſejunctus ab optimatibus; a quo nihil ſperes boni reip., quia non vult; nihil metuas mali, quia non audet.* Vide uti in hoc ipſo tetro hominis vultu exprimendo jocatur Tullius; ita vero ut per jocum nihil ignominiæ detrahatur Piſoni. Hiſce facetiis, & luſibus ſalſe argutus Cicero plurimum in epiſtolis indulget, iiſq. summopere delectari ſe pluries commemorat: atque hac ſæpe ratione relevat, quæ ſibi, & amicis ingrata debent eſſe. Sunt ea celeberrima, quæ de Caninio paucarum horarum conſule ſcribit ep. XXX. lib. VII. Fam. Curio. *Conſulem hora VII.* (Cæſar) *renunciavit, qui uſque ad Kal. Jan. eſſet; quæ erant futuræ mane poſtridie. Ita Caninio Conſule ſcito neminem prandiſſe. Nihil tamen eo conſule mali factum eſt: fuit enim mirifica vigilantia, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit. Hæc tibi ridicula videntur: non enim ades: quæ ſi videres, lacrymas non teneres. Quid ſi cetera ſcribam? Sunt enim innumerabilia generis ejuſdem; quæ quidem ego*

non

non ferrem, nisi me in philosophiæ portum contulissem, & nisi haberem socium studiorum meorum Atticum nostrum, cujus quum proprium te esse scribis mancipio, & nexu, meum autem usu, & fructu, contentus isto sum. Id enim cujusque est proprium, quo quisque fruitur, atque utitur.

V. *De usu Proverbiorum, & transitionum in Epistolis.*

DOcet Phalereus frequentia in epistolis proverbia maxime probari: hæc ipsa laudat in hoc genere Gregorius Nazianzenus. Sed quoniam doctissimi, atque sanctissimi hujus viri mentionem fecimus, operæ pretium nos facturos simul existimamus, si integram ejus sententiam, uti e Græco vertit Manutius, proferamus. Gratiam statuit epistolarum propriam esse oportere. *Hanc porro*, inquit, *servabimus, si neque sicca prorsus, & invenusta scribemus, & illepida, & inornata, & inculta... & sine sententiis, & proverbiis, & dictis, & salibus, & reconditis jocis, quibus sermo conditur; neque valde his abusi esse videamur. alterum enim agreste, alterum cum satietate.* De ceteris jam dicta sint satis: nunc de proverbiis pauca.

Sunt hæc in omni lingua non minus ad venustatem, & leporem elegantia, quam ad auctoritatem, & fidem accommodata. Omnibus enim satisfaciunt, quæ sunt omnium consensione confirmata, quæq. in proverbii consuetudinem venerunt. Nusquam autem sæpius usurpata proverbia deprehendimus apud Ciceronem, quam

in

in epistolis: credo, quod ad vernaculam urbanitatem pertinere vel in primis existimentur, quod licet perspicere in iis, qui nati, & educati ubi vivit, & floret Etrusca lingua, ita loquuntur, ut familiarem etiam sermonem his adspergant vernaculis, & elegantissimis proverbiis.

Verum ut ad Latinos redeamus; infinitum esset omnia percensere, quæ in Epistolis Ciceronis leguntur hujusmodi proverbia. Aliqua tamen lubet subjicere ad acuendam potius, quam ad satiandam elegantiæ studiosorum cupiditatem. Proverbio nato ad eos vellicandos, qui post incommodum prudentes fiunt, incipit urbanissime epistolam ad Trebatium, quæ est XVI. lib. VII. Fam. *In equo Trojano scis esse in extremo*, SERO SAPIVNT. subaudi Phryges. Curius, quem Cicero inter facetos, & urbanos sui temporis commendat, ita scribit ep. XXIV. lib. VII. *Sed, amice magne, noli hanc epistolam Attico ostendere: sine eum errare, & putare me virum bonum esse, nec solere duos parietes de eadem fidelia dealbare*: id est una eademque opera duplicem inire gratiam, quum vellet eodem tempore videri Curius & Attico, & Ciceroni totus devinctissimus. Ad Curium Cicero ep. XXXI. *Sulpitii tibi opera intelligo ex suis litteris non multum opus fuisse, propter res tuas ita contractas, ut quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes. Equidem vellem uti pedes haberent, ut aliquando redires*. Ad Att. lib. IV. ep. XVI. *Venit legi dies. Terentius intercessit. consules, qui illud leni brachio egissent, rem ad senatum detulerunt*. Eodem sensu lib. II. Ep. I.

scri-

ſcripſerat *Molli brachio* (id eſt leviter) *objurgas*. Ad eumdem Att. lib. XIII. ep. xxiv. *Sed quoniam tu ſuſcipis, in alteram aurem* -- Supple dormio. ad indicandum, ſecuri animi ſum -- Lib. VIII. ad Att. ep. xii. *Quare nunc ſaltem ad illos calculos revertamur, quos tum abjecimus*. Quod tempeſtive non fecimus, ſero faciamus: ſeu, quam amiſimus, requiramus occaſionem.

Aliquid etiam occurrit quandoque illuſtrius hiſce dicendi modis elaboratum. Sic lib. II. ad Q. Frat. ep. xv. *Quare facis tu quidem fraterne, quod me hortaris, ſed mehercule currentem nunc quidem, ut omnia mea ſtudia in iſtum unum conferam. Ego vero ardenti quidem ſtudio: ac fortaſſe efficiam, quod ſæpe viatoribus, quum properant, evenit: ut ſi ſerius, quam voluerunt, forte ſurrexerint, properando etiam citius, quam ſi de multa nocte vigilaſſent, perveniat, quo velint. Sic ego, quoniam in iſto homine colendo indormivi diu, te mehercule ſæpe excitante, curſu corrigam tarditatem, tum equis, tum vero (quoniam ſcribis poema ab eo noſtrum probari) quadrigis poeticis*. Ad Att. ita ſcribit ep. xv. lib. V. *Appii vulnera non refrico: ſed apparent, nec oculi poſſunt.... Clitellæ bovi ſunt impoſitæ: plane non eſt noſtrum onus; ſed feremus: modo, ſi me amas, ſit annuum. adſis tu ad tempus, ut ſenatum excites*. Et lib. VII. ep. vii. Quum in re maxime dubia, & anguſta decernendum eſſet. *Cum hoc* (C. Cæſare) *aut depugnandum eſt, aut habenda e lege ratio* (abſentis in petitione conſulatus) *Depugna, inquis, potius, quam ſervias. ut quid? Si vi-*

ctus eris, proſcribare: ſi viceris, tamen ſervias. Quid ergo, inquis, acturus es? idem, quod pecudes, quæ diſpulſæ ſui generis ſequuntur greges. ut nos armenta, ſic ego bonos viros, aut eos, quicunque dicentur boni, ſequar, etiam ſi ruent. Dices hic ſimilitudines afferri. ſed ſimul intelliges hinc fere nata eſſe proverbia.

Epiſtolis quotidianam ſermonis rationem imitantibus videntur minus convenire tranſitiones. Ita quidem, ſi de iis intelligas, quæ naturaliter non cadant; quæque ſtudium, & artem ſapiant. At ſi de facilibus, nitidiſque quibuſdam dicendi modis, qui ſponte nati videntur ad nectendum cum venuſtate, & diſtinguendum ſermonem; tam ſunt hi epiſtolarum proprii, ut vix poſſint ſine illis urbanæ, & elegantes videri. Plura quidem expediuntur per eas particulas, quæ tranſitionibus inſerviunt: *autem*, *vero*, *quidem*, *ſed*, *nam*, & hujuſmodi: facilius etiam quum reſpondemus, ipſo rerum ordine ſatisfacimus amico. Verum quid officiunt ſimplici nitori epiſtolarum tranſitiones illæ, quibus etiam in familiari ſermone, qui ſunt litteris exculti, ſine fuco utuntur? illa certe invenies apud Ciceronem: *Nunc ut ad privata redeam.* -- *Nunc venio ad privata. fere enim reſpondi tuis litteris de republica.* -- *Romanæ autem ſe res ſic habent.* -- *Reliqua expediamus. hoc primum.* -- *Sed redeo ad illud* -- *Reliquum eſt, ut* -- *Sed hæc hactenus. Illud extremum.* -- *Ergo hoc primum. ſequitur illud.* -- Sed quam ineptum eſſet hic indicem attexere illarum tranſitionum, quæ ſi videantur diligentius quæſitæ, ſolent eſſe legentibus permoleſtæ? Non tamen reſpuit epiſtola, ſi fu-

ſi fuſior aliquanto futura ſit, vel ita poſtulent res ad amicum conſcribendæ, poſitam initio aptam partitionem. Ita ep. xix. ad Att. lib. I. *Et primum tibi, ut æquum eſt, civi amanti patriam, quæ ſunt in republica, exponam: deinde, quoniam tibi amore proximi ſumus, ſcribemus etiam de nobis ea, quæ ſcire te non nolle arbitremur*. hinc ſtatim. *Atque in rep. nunc quidem maxime Gallici belli verſatur metus*. - Cetera exponit, tum: *Hæc ſunt, ut opinor, in republica. Ego autem* ... Poſtremo. *At noſtræ quidem rationis, ac vitæ quaſi quamdam formam, ut opinor, vides. De tuo autem negotio* ... Vides nihil hic omiſſum eſſe artis, ad partes inter ſe nectendas. ſed quam hæc ipſa eſt ars ſimplex, & naturalis?

VI. *De Brevitate Epiſtolarum.*

DE brevitate epiſtolarum nihil aptius afferri poteſt Gregorii Nazianzeni ſententia. *Qui epiſtolas*, inquit, *ſcribunt, alii quidem pluribus verbis quam deceat, alii vero exiliter admodum ſcribunt: & utriq. modum non ſervant: quemadmodum qui ad ſcopum jaculantur, ſive infra mittunt, ſive ſupra. errare enim æquale eſt, licet a contrariis fiat. eſt autem epiſtolarum modus ipſa res: quum neque pluribus verbis, ubi non multæ ſunt res, ſcribendum ſit; neque paucioribus, ubi multæ*. Hanc brevitatem ut conſequamur, juvabit in primis, quod præcipit Demetrius, ut conſtructione ſermo ipſe diſſolvatur. *Nam* (ut idem pergit) *per periodos ire tamquam non epiſtolam, ſed judicium ſcribentem,*

tem, supra quam dici possit, ridiculum est; & non solum ridiculum, sed amicitiæ nequaquam conveniens. Atque id quidem illud est, quod ex Cicerone monuimus, qui nihil epistolam habere simile vel concioni docet, vel judicio.

Hæc tamen, quæ sunt apte, docteque præscripta, ita vellem intelligi, ut minime ex brevitate jejunitas consequeretur, & subhorrida quædam rusticitas, quæ solet festivæ urbanitati vehementer obsistere. In præstantibus certe auctoribus hæc ipsa brevitas solet esse maxime concinna, elegans, & micanti quodam lepore efficax, permeansq. cum voluptate in animum legentis. Verum hæc non tam quæsita verborum parcitate (qua tamen gaudet epistola, quotiescunque id consequi possit sine venustatis detrimento) quam sententiarum elegantia, & dicendi modis, ita concisis, ut singulis prope verbis & afficiant, & delectent. In re quidem blanda, & jocosa quid potest esse suavius, & urbanius concisa illa brevitate ep. XIX. lib. IX. ad Pætum? *Tamen a malitia non discedis: tenuiculo apparatu significas Balbum fuisse contentum. hoc videris dicere, quum reges tam sint continentes, multo magis consulares esse oportere. Nescis me ab illo omnia expiscatum: recta enim a porta domum meam venisse; neque hoc admiror, quod non ad tuam potius, sed illud, quod nec ad suam. Ego autem tribus primis verbis. Quid noster Pætus? At ille adjurans, nusquam se umquam libentius. Hoc si verbis assecutus es; aures ad te afferam non minus elegantes: sin autem obsonio, peto a te, ne pluris esse Balbos, quam disertos putes. Me quotidie aliud ex alio impedit.*

dit. Sed si me expedierò, ut in ista loca venire possim, non committam, ut te sero a me certiorem factum esse putes. Vale. Quot hic in summa brevitate gratiæ, quot lepores, quot amicitiæ suavissimæ expressa vestigia?

In rebus etiam gravioribus, quum res postulat, ita contrahit sermonem, ut ne verbum excidat non penitus necessarium. Vide Epist. XLIV. lib. XIII. ad Att. *Suaves tuas litteras! etsi acerba pompa* (qua scribis Cæsaris signum decreto senatus inter simulacra Deorum gestatum esse): *verumtamen scire omnia non acerbum est; vel de Cotta.* (rumor enim percrebuerat, hunc xv. virum proximo senatu sententiam dicturum, ut quoniam ex libris Sybillinis Parthi non nisi a rege vinci poterant, rex Cæsar appellaretur) *Populum vero præclarum! quod propter malum vicinum ne victoriæ quidem plauditur.* Quum in pompa signum victoriæ, quæ apud Romanos ut dea colebatur, per ora populi veheretur, populus contra consuetudinem plausum victoriæ non dedit, ne Cæsari dare videretur, cujus signum prope victoriæ signum gestabatur. Manut. in hunc locum. Vos cetera recognoscite, & perspicietis prope mutilas, & decurtatas sententias, sed ea ratione, quam probat brevitas epistolarum; ut verba sæpe reticeantur, quæ facile suppleri ex ipsa possunt sententia. Hic etiam, ac fere in omnibus responsionibus usuvenit, ut quæ jam ab amico proposita, & explicata sunt, fere per nutum aliquem satis indicentur. Ad epistolam contrahendam conducit plurimum, quam sæpe commendavi, præstantium auctorum lectio, & imitatio.

tatio. Ut autem aliquid addam ex animadversione, sunt percommodæ breves illæ opportune usurpatæ interrogationes *quid? quid quæris? quid multa?* quibus locutionibus sæpissime utitur Cicero: Ita etiam quædam veluti *Epiphonemata* non raro inducuntur; uti postquam de sua egit concione ad populum ep. XIV. ad At. *Quid multa? clamores*. & lib. XIV. ep. XV. de Dolabella, qui columna sublata in foro Cæsari erecta, spem libertatis afferebat, post facti brevem narrationem, scribit: *quid quæris? Heroica*.

Ad elegantem & concinnam brevitatem valere plurimum in epistolis proverbia, jam animadvertere potuistis. Quum enim hæc fere similitudinem aliquam respiciant; quidquid in ea latet, proverbio ipso significatur. Sic Epist. ultima lib. IV. *Hæc enim me una ex hoc naufragio tabula delectat*. & XLV. lib. XIII. *Quod me hortaris, ut eos dies consumam in Philosophia explicanda; currentem tu quidem*. Ad Gallum lib. VII. Fam. ep. XXV. *Urge igitur, ne transversum unguem, quod ajunt, a stylo*.

Ceterum hæc postquam statutis de brevitate epistolarum, illud etiam pro certo habete, nihil obstare, quo minus effluat uberius, dummodo certis finibus contineatur. Atque in primis sæpe inter amicos, quod inquit Cicero, non loquacitas, sed benevolentia longiores facit epistolas. Quo tamen in genere non verbosiores epistolæ, sed urbanitate venustiores delectant; nec multa quidem verba, sed multi, & liberales joci, & sales placent. Ita etiam sæpe res perscribendæ occurrunt, in quibus quum

ani-

animi ſenſus amico ſint aperiendi, commotiones ipſæ faciunt, ut paullo res uberius enarrentur, ac ſæpe etiam amplificentur. Omnia videbis ita explicata in ep. XVI. lib. I. ad Atticum: particulam attendæ, quæ pulchram complectitur exornationem. Agit de Judicio in Clodium peracto. *Hic ut quæque res ad conſilium primis poſtulationibus referabatur, incredibilis erat ſeveritas, nulla varietate ſententiarum. nihil impetrarat reus: plus accuſatori dabatur, quam poſtulabat: triumphabat (quid quæris?) Hortenſius, ſe vidiſſe tantum: nemo erat, qui non illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur, me vero teſte producto, credo te ex acclamatione Clodii advocatorum audiſſe, quæ conſurrectio judicum facta ſit, ut me circumſteterint, ut aperte jugula ſua pro meo capite P. Clodio oſtentarint. quæ mihi res multo honorificentior viſa eſt, quam aut illa, quum jurare tui cives Xenocratem teſtimonium dicentem prohibuerunt: aut quum tabulas Metelli Numidici, quum hæ, ut mos eſt, circumferrentur, noſtri judices aſpicere noluerunt; multo hæc, inquam, noſtra res major. Itaque judicum vocibus, quum ego ſic ab iis, ut ſalus patriæ defenderer, fractus reus, & una patroni omnes conciderunt.* Conferte hæc ſi lubet cum iiſdem exemplis, quæ affert Cicero pro Cornelio Balbo, & perſpicietis, quantum interſit inter amplificationem orationis, & epiſtolæ.

Si pergis ad ep. XVIII. vivam, & expreſſam intueberis animi Ciceronis afflicti ſimul, & levamen aliquod cupientis, qua nihil venuſtius, nihil ad permovendum amicum blandius, & efficа-

ficacius. *Nihil mihi nunc scito tam deesse, quam hominem eum, quocum omnia, quæ me cura aliqua afficiunt, una communicem: qui me amet, qui sapiat, quocum ego colloquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam. abest enim frater*(*) simplicissimus, & *amantissimus: Metellus, non homo, sed littus, atque aer. tu autem, qui sæpissime curam, & angorem animi mei sermone, & consilio levasti tuo; qui mihi & in publica re socius, & in privatis omnibus conscius, & omnium meorum sermonum, & consiliorum particeps esse soles, ubinam es? Ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore, & filiola, & mellito Cicerone consumitur. nam illæ ambitiosæ nostræ, fucosæque amicitiæ sunt in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habent. Itaque quum bene completa domus est, tempore matutino; quum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus, reperire ex magna turba neminem possumus, quocum aut jocari libere, aut suspirare familiariter possimus. quare te exspectamus, te desideramus, te jam etiam arcessimus. multa enim sunt, quæ me sollicitant, anguntq., quæ mihi videor, aures nactus tuas, unius ambulationis sermone exhaurire posse.* Quid hic non videtur ita descriptum, ut paucioribus contrahi non posset? Sed naturam, & animum scribentis explora, nihilque invenies non aptissimum, atque ad conditionem vitæ miseram, & anxiam vivis coloribus pingendam, non opportunissimum; quodque etiam mirifice

non

(*) *In textu* ἀφελέστατος.

non imitetur consuetudinem familiarem amicorum, qui in rebus adversis, si quem inveniunt fidelem amicum, gaudent omnia diligentius aperire, angoremque omnem in fide, & amore illius prope deponere.

Neque aliter in vehementioribus commotionibus se gerit Tullius, quum impetum sequens animi, ita rapitur, ut dolorem, & perturbationem, sive metum, sive incertam spem salutis, angoremque subjiciat. Hæc ad Att. scribit ep. cx. lib. X. rebus Pompei inclinantibus, ac prope desperatis. *Dices, ub. ergo tuus ille animus, quem proximis litteris? adest, & idem est. sed utinam meo solum capite decernerem. lacrymæ meorum me interdum molliunt precantium, ut de Hispaniis exspectemus. M. Cœlii quidem epistolam scriptam miserabiliter, quum hoc idem obsecraret, ut exspectarem, ne fortunas meas, ne unicam filiam, ne meos omnes tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri: etsi meus quidem est fortior, eoque ipso vehementius commovet; nec quidquam nisi de dignatione laborat.* Et epist. 11. lib. VIII. *Sed ut hæc omittam, quid fœdius, quid perturbatius hoc ab urbe discessu, sive potius turpissima fuga, quæ conditio non accipienda fuit potius. quam relinquenda patria? malæ conditiones erant: fateor. sed numquid hoc pejus? at recuperabit rempublicam. quando? aut quid ad eam spem est parati? Non ager Picenus amissus? Non patefactum iter ad urbem? non pecunia omnis & publica, & privata adversario tradita?* Plurima occurrunt in hac epistola ad vehementem animi commotionem comparata. Unum ad-

addam, quo ſatis conſtabit quam ſit in epiſtola quandoque laudanda fuſior expoſitio. Attico quærenti ex Cicerone quid de Pompejo longius jam progreſſo in bellum civile ſentiret, ſic reſpondet ep. XI. lib. VIII. *Conſumo igitur omne tempus conſiderans, quanta vis ſit illius viri, quem noſtris libris ſatis diligenter, ut tibi quidem videmur, expreſſimus. teneſne igitur, moderatorem illum reipublicæ quo referre velimus omnia? Nam ſic quinto, ut opinor, in libro* (de rep.) *loquitur Scipio. Ut enim gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria; ſic huic moderatori reip. beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. hujus enim operis maximi inter homines, atque optimi illum eſſe perfectorem volo. Hoc Cnæus noſter quum antea numquam, tum in hac cauſſa minime cogitavit. dominatio quæſita ab utroque eſt: non id actum, beata, & honeſta civitas ut eſſet. Nec vero ille urbem reliquit, quod eam tueri non poſſet; nec Italiam, quod ea pelleretur: ſed hoc a primo cogitavit, omnes terras, omnia maria movere, reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maximos. genus illud Sullani regni jampridem appetitur, multis, qui una ſunt, cupientibus. An cenſes nihil inter eos convenire? Nullam pactionem fieri potuiſſe? hodie poteſt. ſed neutri* (*) ſcopus *eſt ille ut nos beati ſimus; uterque regnare vult. Hæc a te invitatus breviter expoſui.* Ita eſt. fuſiora videntur; ſed res

(*) σκοπός.

res erat hujusmodi, ut ad satisfaciendum amico nihil minus requireretur.

VII. *De perspicuitate Epistolarum*.

DUm breves esse laboramus, cavendum ex Horatii præcepto, ne obscuri fiamus. Nam si obscuritas fugienda semper est; in epistolis certe maxime. Hæc enim ad amicum scribitur, ut sermonis, & quidem familiaris, suppleat officium. quid autem odiosus, quam inter familiares ita nos loqui, ut statim, & facile non intelligamur? Sic igitur habetote, ita scribi epistolam oportere, ut nihil omnino legentem moretur; ita planum, & fluentem, & nitidum esse debere totum ejus cursum, ut neque durior constructio, neque longior trajectio cogat aliquid revocare. Sed nihil erit hujusmodi, si ornatus erit talis, qualem optant epistolæ: de quo ita Gregorius Nazianzenus: *Summa hæc est, quod ab eloquente quodam homine de aquila accepi, quum diceret: Quo tempore aves de principatu disceptabant; & aliæ aliter exornatæ venerunt, in aquila formosissimum id fuisse, quod nihil formosum esse putaretur. hoc & in epistolis maxime observandum, ut minime sint elaboratæ; quod proxime ad naturam accedit*. Itaque, ut idem docet: *Optima est epistola, quæ tum indoctum, tum etiam eruditum persuadere possit; indoctum, ut ad multitudinem scripta; eruditum, ut multitudinis captum superans*. Tum enim laudantur epistolæ, quum de iis vere dici potest, quod de quibusdam Attici commentariis ad ipsum scripserat Cicero

ep.

ep. 1. lib. II. *Horridula mihi, atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant, &, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur.*

Dices plurimas inveniri Ciceronis epistolas tum ad familiares conscriptas, tum ad Atticum præsertim, quas ariolando potius, quam explicando vel doctissimi scriptores interpretentur. Non inficior. verum facile est ex ipso argumento conjicere, vel de industria in rebus, quæ non sine periculo evolare possent, ita se gessisse, ut eas nemo præter illum, ad quem erant missæ, intelligeret. Alias sæpe scribit, quæ vix indicata, ex iis, quæ præcesserunt, facile cognosci possint. Verum hæc non illis proponenda, qui litteras vel officii, vel amicitiæ caussa identidem scribunt. Neque certe quispiam sibi eas ad imitandum proponet epistolas, quas in Cicerone minus hac de caussa intelligit, sed quæ sunt magis perspicuæ, & in summa facilitate elegantes.

VIII. *De partibus Epistolæ, ac primum de Salutatione.*

De partibus epistolarum pauca sunt præcipienda. Nam neque certo numero eas definire possumus, neque illa, quæ hac de re præscribuntur, si pauca excipias, satis firma, & constantia esse possunt. Itaque postquam de salutatione pauca dixerimus, quæ poni solet initio epistolæ; quaque vale dicimus in fine; satis habebimus de exordio, quod præmitti solet aliquando, quidpiam indicare. Nam ea præcipua,

&

& frequentiora, quæ nos movent ad fcribendum, quæque efficiunt epiftolæ five narrationem, five quodlibet argumentum, per varia exemplorum capita ita diftribuemus, ut fimul inventioni, & elocutioni, quoad fieri poffit, confulamus.

De Latinis hic loquimur epiftolis, quæ falutationem præferre folent in fronte. Quamquam ab hac ipfa ratione minime abhorrent, quæ fcribuntur Italica lingua, nec eam confuetudinem modo refpuunt viri principes. Ut tamen nos perftemus in inftituto; nihil eft facilius, quam aureum Latinorum morem retinere in hac parte. Omnes legite Ciceronis epiftolas, & vix invenietis alicujus momenti difcrimen in earum prima falutatione. Itaque quum res agitur inter familiares, funt ea in ufu perpetuo. M. T. Cicero M. Marcello S. D. vel S. P. D., aut etiam tantum S., id eft Salutem dicit -- Salutem plurimam dicit -- Salutem. Si vero ad aliquem fcribit ullo fungentem magiftratu, tum addit hunc ipfum, ut P. Lentulo Proconfuli, atque ita fæpe Confuli, Collegæ, Proquæftori, Proprætori, Confuli defignato, aliifve. Neque aliter invenietis, quum ille, qui fcribit, aliquem gerit magiftratum, ac tum præfertim, quum primæ in ea dignitate mittuntur litteræ, vel ex ipfa dignitate majorem, prout eft opus, auctoritatem funt habituræ: ut ex. ca. M. Lepidus Imp. iterum, Pont. Max. Marco Tullio Ciceroni: vel SENAT. POP. PL. Q. R. Illud minime eft relinquendum, quum ad propinquos, vel neceffarios fcribitur, omnem fere amoris fignificationem *Suo* adjecto, vel *Suæ*, vel *Suis*

ex-

expleri consuevisse; ut *Tullius Terentiæ suæ, Tulliolæ, & Ciceroni suis S. D.* Quandoque tamen blandimenti caussa quidpiam adjicitur, ut *Tullius Terentiæ suæ, & Pater suavissimæ filiæ Tulliolæ* -- vel *Tullius Terentiæ, & Pater Tulliolæ duabus animis suis, & Cicero Matri optimæ, suavissimæ sorori S. D.* -- *Tullius, & Cicero F. & Q. Tironi humanissimo, & optimo.*

Ab hoc quidem usu percommodo, & ab omni assentatione alieno numquam crediderim discedendum; nisi regionis ratio, & inducta, atque inveterata apud aliquos viros principes consuetudo aliud postularet. Nos certe videmus vel ipso Summo Pontifici, & Regibus potentissimis ita fere inscribi Latinas epistolas ab iis, qui sapiunt, quique sunt optimis studiis exculti. Id etiam gratum accidit epistolam accipienti. Nam, quod primum avet, est cognoscere, a quo litteræ datæ sint.

IX. *De postrema epistolæ clausula.*

HÆc etiam postrema salutatio, seu ultima epistolæ clausula, iis quibus scribimus, vale dicendo, perficitur. Ita illud *vale* in fine est fere perpetuum. Eodem etiam pertinent illa, quæ crebro occurrunt: *Cura ut valeas. Da operam ut valeas: hoc mihi gratius facere nihil potes* -- *Tu velim valetudinem cures* -- *Valetudinem tuam cura diligenter.* -- *Maxime autem date operam, ut valeatis, si me vultis valere* -- *Valete, mea desideria, valete* -- *Valebis igitur, meque, ut a puero fecisti, amabis.* -- *Quantum me diligis, tantum fac, ut valeas, vel quantum*

te a me ſcis diligi -- Vale, mi Tiro, vale, vale, & ſalve. Lepta tibi ſalutem dicit, & omnes -- Etiam atque etiam vale -- Ama nos, & vale. - Cura te, ſi me amas, diligenter. -- Fac ut diligentiſſime te ipſum, mi Dolabella, cuſtodias. Domus te tota noſtra ſalutat -- Dionyſium jube ſalvere, ſive, *velim ſalvere jubeas. Valebis igitur, & valere Cæciliam noſtram jubebis -- Fac valeas, meq. mutuo diligas.*

Paullo illa ſunt elegantiora, plenioraque, ut ep. IV. lib. VI. ad Fam. *Ego, quæ te velle, quæque ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſe, diligenterque curabo: quæ quum faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non aſſequar.* Et ſequenti: *A me vero tibi omnia, liberiſque tuis paratiſſima eſſe, confidas velim. id enim & vetuſtas noſtri amoris, & mea conſuetudo in meos, & tua multa erga me officia poſtulant.*

Si quid additamenti occurrat litteris faciendum, præſto ſunt illa: *Obſignata jam epiſtola - Obſignaram jam epiſtolam, quum ſubito tabellarius -- Scripta jam epiſtola ſuperiore, accepi tuas litteras*: Vel quum temporis premunt anguſtiæ: *Tabellarius flagitat.* Sed res ipſæ, quæ incidunt, indicabunt rationes ſcribendi.

Supereſt, ut aliquid de loci, & temporis adjunctione ſubjiciamus. Locus itaque adſcribitur eo caſu, qui indicet, ut inquiunt Grammatici, ubi, vel unde ſcribas. Itaque, & Pergæ invenimus, & Capua, & Athenis; & ſæpe ex caſtris, prout varia poſtulat nominum ratio. Dies vero apponitur perpetua apud Romanos conſuetudine per Kalendas nimirum, Nonas, & Idus;

iiſ-

iisque notis numerorum, quæ apud Latinos fuerunt semper in usu. De his Grammatici; sed optantibus pauca nos etiam in calce hujus appendicis. Annum veteres designabant Latini per Consules; nos a Divino Christi ortu computamus; ac tum aliquid apponere ad hanc felicitatis nostræ originem indicandam poterimus; tum, quod jam fere est usu receptum, annum dumtaxat adnotare. Sæpe vel adjicitur, vel subauditur. D. sive Data Idibus Junii Cypro. atque in his etiam dicendi modis subauditur Epistola. addebant etiam aliquando horam, vel partem diei, prout res postulabat. Sed quum ad rem pertinebit, nemo non intelliget. Quemadmodum vero antiqui solemniores etiam dies aliquando scribebant, ut Data liberalibus; nemo non videt, potiori id jure convenire celebrioribus, & Sacratissimis nostræ religionis festis diebus.

X. *De Exordio Epistolarum*.

ILlud frequentius invenitur litterarum initium, vel notis singularibus, vel explicatis verbis. S. V. B. E. E. Q. V., aut S. V. V. B: E. E. V. id est: *Si vales bene est*, *ego quidem valeo:* vel *si vos valetis*, *bene est*, *ego valeo*. vel *Si vales*, *bene est*, *valeo*. Amoris etiam aliquando tenerioris gratia quidquam interjicitur; ut *Si tu*, *&* *Tullia lux nostra valetis*, *ego*, *&* *suavissimus Cicero valemus*. Mos iste tum religiosius servabatur, quum in magistratibus aliquid ex officio aliis magistratibus scribebant: sic legitur M. Tullius M. F. Cicero Pro-

Proconsul S. P. D. Coss. Prætt. Tribb. Pl. Senatui. Si vos V. B. E. E. Q. V.

Nos etiam, quum lubebit, sed inter familiares, hoc uti principio poterimus; & consuetudini etiam nostræ non sine urbanitate id ipsum accommodare. Sed de hoc initio non est sermo. De quo igitur? De quo plures hujus artis scriptores plura congesserunt. Verum, quum ea referant pleraque ad artificium exordiorum, de quibus hic non agimus; & quum omnia ferme, quæ in hoc genere sunt ex arte profecta, mea quidem sententia, parum juvent; ex animadversione, & exemplis perpauca indicabo. Primum quum respondemus, ea, quæ nobis scripta fuerunt, responsionem indicabunt. Præterea sunt illa tum usitata. *Legi tuas litteras, ex quibus perspexi.* -- *Gratæ mihi tuæ litteræ fuerunt, ex quibus intellexi* -- *Omnis amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in iis litteris, quas a te proxime accepi: non mihi quidem ille ignotus, sed tamen gratus, & optatus* -- *Litteras tuas accepi pridie nonas* --

Dum vero ipsi scribimus, ratio litterarum, si quis aditus sit aperiendus exiguo aliquo apparatu, suppeditabit. Initium primæ ad P. Lentulum perpendite. *Ego omni officio, ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus: mihi ipse numquam satisfacio.* Quid suavius? quid officiosius? Idem Cæsari Imper. ep. v. l. VII. *Vide quam mihi persuaserim, te me esse alterum, non modo in his rebus, quæ ad me ipsum, sed etiam in iis, quæ ad meos pertinent.* Quam hæc videntur amoris plena? Ad Catonem vero ep. XIV. lib. XV. *Summa tua auctoritas fecit, me-*

umque perpetuum de tua singulari virtute judicium, ut magni mea interesse putarem, & res eas, quas gessissem, tibi notas esse, & non ignorari a te, qua æquitate, & continentia tuerer socios, provinciamque administrarem. -- Ad eundem nonne digna Catone prima est sententia, eademque & elegantissima, & venuste ornata? *Lætus sum laudari me*, inquit Hector, opinor, apud Nævium, *abs te pater, a laudato viro. ea est enim profecto jucunda laus, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt*. Artificiosius est illud initium ep. XII. lib. V. *Coram me tecum eadem hæc agere sæpe conantem deterruit pudor quidam, pene subrusticus; quæ nunc expromam absens audacius. Epistola enim non erubescit*. Verum non est, cur plura referam. Sunt enim omnes hujusmodi, ut nata videantur ex re ipsa, & opportunitate. Quare jam fontes adeamus, ex quibus plura liceat haurire, quæ ex Cicerone in varia genera traducamus. Iis tamen contenti erimus quæ sæpius occurrunt, suntque in frequentioribus humanæ vitæ, officiis.

XI. *De gratulationibus per epistolas.*

QUum ea gratulari amicis, vel patronis soleamus, quæ ipsis accidunt pro votis, vel certe prospere, & splendide; nemo non videt, in animi scribentis gaudio explicando, & in meritis ejus ornandis, qui novo est honore, vel beneficio auctus; tum in describenda animorum conjunctione, versari gratulationem de-

debere. Sed hæc ipsa in nostro auctore clarius perspicite.

T. Ampio Balbo ita prope exultans gratulatur, ep. XII. lib. VI. *Gratulor tibi, mi Balbe, vereque gratulor: nec sum tam stultus, ut te usura falsi gaudii frui velim: deinde frangi repente, atque ita cadere, ut nulla res ad æquitatem te animi possit postea extollere. Egi tuam caussam apertius, quam mea tempora ferebant. Vincebatur enim fortuna ipsa debilitatæ gratiæ nostræ, tui caritate, & meo perpetuo erga te amore, culto a te diligentissime. Omnia promissa, confirmata, certa, & rata sunt, quæ ad reditum, & ad salutem tuam pertinent. Vidi, cognovi, interfui.*

Ad M. Marcellum Consulem de C. Marcello Consule designato hanc scribit gratulationem ep. VII. lib. XV. *Te & pietatis in tuos, & animi in rempublicam, & clarissimi, atque optimi consulatus, C. Marcello Consule facto, fructum cœpisse vehementer gaudeo. Non dubito, quid præsentes sentiant: nos quidem longinqui ad cælum mehercule tollimus, verissimis, ac justissimis laudibus. Num quum te a pueritia tua unice dilexerim; tuque me in omni genere semper amplissimum esse & volueris, & judicaris* -- De eodem ad Cœlium ep. IX.

Marcellum tuum Consulem factum, teque ea lætitia affectum esse, quam maxime optasti, mirandum in modum gaudeo: idque quum ipsius caussa, tum quod te omnibus secundissimis rebus dignissimum judico: cujus erga me singularem benevolentiam vel in labore meo, vel in honore perspexi: totam denique domum vestram vel sa-

 lutis,

lutis, vel dignitatis meæ studiosissimam, cupidissimamque cognovi. -- *Gratum mihi feceris, si uxori tuæ Juniæ gravissimæ, atque optimæ feminæ meis verbis eris gratulatus.* Ipsi Marcello ita suam dignitatem gratulatur.

Maxima sum lætitia affectus, quum audivi te Consulem factum esse: eumque honorem tibi Deos fortunare volo, atque a te pro tua, parentisque tui dignitate administrari. Nam quum te semper dilexi, amavique, tum mei amantissimum cognovi in omni varietate rerum mearum; tum patris tui pluribus beneficiis, vel defensus tristibus temporibus, vel ornatus secundis; & sum totus vester, & esse debeo. Item L. Paullo Consuli designato ita gratulatur ep. XII.

Etsi mihi numquam fuit dubium, quin te populus R. pro tuis summis in remp. meritis, & pro amplissima familiæ dignitate, summo studio, cunctis suffragiis, Consulem facturus esset: tamen incredibili lætitia sum affectus, quum id mihi nunciatum est. -- Curioni Trib. Pl. gratulatur Tribunatum, ac simul excusat gratulationis tarditatem, ep. VII. lib. II.

Sera gratulatio reprehendi non solet, præsertim si nulla negligentia prætermissa est. longe enim absum: audio sero. Sed & tibi gratulor, &, ut sempiternæ laudi tibi sit iste tribunatus, exopto: teque hortor, ut omnia gubernes, & moderere prudentia tua: ne te auferant aliorum consilia. Nemo est, qui sapientius tibi suadere possit te ipso. Numquam labere, si te audies. Non scribo hoc temere: cui scribam, video: novi consilium tuum. -- Pariter e Cilicia ita scribit Cœlio Ædili Curuli designato.

Pri-

Primum tibi, ut debeo, gratulor, lætorque, quum præsenti, tum etiam sperata tua dignitate, serius, non negligentia mea, sed ignorantia rerum omnium. In his enim sum locis, quo & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardissime omnia perferuntur. Est pulcherrima ad Ciceronem gratulatio C. Trebonii, quæ legitur ep. XVI. lib. XII. de ejus filio.

Athenas veni a. d. XI. Kal. Jun. atque ibi, quod maxime optabam, vidi filium tuum deditum optimis studiis, summaque modestiæ fama. Qua ex re quantam voluptatem cœperim, scire potes, etiam me tacente. Non enim nescis, quanti te faciam, & quam pro nostro veterrimo, verissimoque amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare: nihil adolescente tuo, atque adeo nostro (nihil enim mihi a te potest esse sejunctum) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis sunt, est, aut studiosius earum artium, quas tu maxime amas, hoc est optimarum. Itaque tibi, quod vere facere possum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis, quod eum, quem necesse erat diligere, qualiscunque esset, talem habemus, ut libenter quoque diligamus.

XII. *De Consolatoriis Epistolis*.

UT constet melius, quæ ad leniendum animi dolorem in rebus adversis plurimum valeant, aut adhiberi soleant argumenta, subjiciam statim pauca, quæ videntur aptiora ad levandum angorem in morte nostrorum. Aliquid cer-

certe ad cosolandum habet momenti societas ipsa mœroris. signum enim benevolentiæ dolor est, & commiseratio, & cura ipsa relevandi alterius dolorem. In morte filiæ Servius Sulpitius Ciceronem conatur consolari ep. v. lib. IV. Nos quæ sunt magis communia, & proposita omnibus, deligemus, atque ipsa comparabimus cum eisdem fere argumentis epistolæ Ciceronis ad Titium, quæ est xvi. lib. V. Sulpicii hæc sunt.

Postea quam mihi renunciatum est de obitu Tulliæ filiæ tuæ, sane quam pro eo ac debui, graviter, molesteque tuli, communemque eam calamitatem existimavi. qui si istic affuissem, neque tibi defuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus hoc consolationis miserum, atque acerbum est: propterea quia, per quos ea confieri debet, propinquos, ac familiares, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lacrymis multis id conari possunt: uti magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quam aliis posse suum officium præstare: tamen quæ in præsentia in mentem mihi venerunt, decrevi brevi ad te perscribere: non quo ea te fugere existimem, sed quod forsan dolore impeditus minus ea perspicias. Cicero autem ita scribit.

Etsi unus ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus, quod tantum ex tuis molestiis cœpi doloris, ut consolatione ipse egerem; tamen quum longius summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quam tuus, statui nostræ necessitudinis esse, meæque in te benevolentiæ non tacere tanto in tuo mœrore tam diu, sed adhibere aliquam modicam consolationem, quæ leva-

re dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset.

Omitto, quæ utrinque afferuntur ex iniquitate illorum temporum, incommoda, ex quibus potius, quam ex optabili vitæ conditione erepti filii videbantur. hæc enim illius tempestatis erat propria perturbatio: quamquam ita omnes vivimus, ut hinc in morte nostrorum possit semper suppetere non levis consolatio. Sed pergamus. Sulpitius.

Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, & eum qui aliis consueris præcipere, & dare consilium: neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinæ scientiam; ipsi se curare non possunt: sed potius, quæ aliis tute præcipere soles, tute tibi subjice, atque apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, ac molliat. Hoc te expectare tempus tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Nunc vide uti hæc ipsa Cicero perscribat, & alia subjiciat ratione.

Non est jam gravitatis, ac sapientiæ tuæ, quam tu a puero præstitisti, ferre immoderatius casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria, maloque sejunctus. Etenim cum semper te & privatis in rebus, & publicis præstitisti; tuenda tibi ut sit gravitas, & constantiæ serviendum. Nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos præcipere consilio, prudentiaque debemus. Etenim, si nulla umquam fuit, liberis amissis, tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit; certe nos,

 quod

quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus, neque exspectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus. Hæc sufficiant ita comparata. Nunc alia ex eadem Tullii epistola proferamus.

Est autem consolatio pervulgata quidem illa maxime, quam semper in ore, atque animo habemus, homines nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus fortunæ telis proposita sit vita nostra: neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, conditione vivamus: neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus: eventisque aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis novi cogitemus.

In adversis reip. temporibus ita scribit ad Sulpitium Cicero ep. III. lib. IV. *Vehementer te esse sollicitum, & in communibus miseriis præcipuo quodam dolore angi, multi ad nos quotidie deferunt. Quod quamquam minime miror, & meum quodammodo agnosco; doleo tamen, te sapientia præditum prope singulari, non tuis bonis delectari potius, quam alienis malis laborare. Me quidem, etsi nemini concedo, qui majorem ex pernicie, & peste reip. molestiam traxerit: tamen multa jam consolantur, maximeque conscientia consiliorum meorum. Multo enim ante tamquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram.*

In privato Fadii incommodo ita scribit. *Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum, propterea quod nullam rem gravius jamdiu tuli, quam incommodum tuum: tamen te magnopere non hortor solum, sed etiam pro amore nostro rogo, atque oro, ut te colligas, virumque*

præ-

præbeas, & qua conditione omnes homines, & quibus temporibus nati simus, cogites. Plus tibi virtus tua dedit, quam fortuna abstulit.

Ad consolandum Torquatum Athenis exulantem scripta est ep. I. lib. VI. Mitto ea, quæ sunt singularia, quibus ostendit beneficii loco potius tunc temporis habendum Romą abesse: ea pono, quæ sunt ad confirmandum animum quocunque in infortunio percommoda.

Si enim, bene sentire, recteque facere satis est ad bene, beateque vivendum: vereor, ne eum, qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit, miserum esse nefas sit dicere ... Simus igitur ea mente, quum ratio, & veritas præscribit, ut nihil in vita nobis præstandum, præter culpam, putemus; eaque quum careamus; omnia humana placate, & moderate feramus ... Sed hæc longiora fortasse fuerunt, quam necesse fuit: illa, quæ majora sunt, brevius exponam. Ego habeo, cui plus, quam tibi, debeam, neminem ... Qui sim autem hoc tempore, intelligo: sed quia nemo est tam afflictus, qui si nihil aliud studeat nisi id, quod agit, non possit navare aliquid, & efficere: omne meum consilium, operam, studium certe velim existimes tibi tuisque liberis esse debitum -- & ep. III.

Ego tibi hoc confirmo, etsi levis est consolatio ex miseriis aliorum, nihilo te nunc majore in discrimine esse, quam quemvis aut eorum, qui discesserint, aut eorum, qui remanserint. alteri dimicant, alteri victorem timent. Sed hæc consolatio levis: est illa gravior, qua te uti spero: ego certe utor: nec enim, dum ero, angar ulla re, quum omni vacem culpa: &, si non

ero,

ero, ſenſu omnino carebo. ſed rurſus: (*) Noctuam Athenas, *qui ad te hæc*. Non aliis argumentis, ſed diverſa ratione utitur ad conſolandum Torquatum ep. xv. lib. VI., poſt denunciata incommoda exitus belli civilis, quicunque is tandem fuiſſet.

Hoc loco ſi videor augere dolorem tuum, quem conſolando levare debeam, fateor me communium dolorum conſolationem nullam invenire, præter illam, quæ tamen, ſi poſſis eam ſuſcipere, maxima eſt, quaque ego quotidie magis utor, conſcientiam rectæ voluntatis, maximam conſolationem eſſe rerum incommodarum: nec eſſe ullum magnum malum præter culpam. A qua quum tantum abſumus, ut etiam optime ſenſerimus: eventuſq. magis noſtri conſilii reprehendatur; & quum præſtitimus, quod debuimus, moderate, quod evenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non ſumo, ut te conſoler de communibus miſeriis, quæ ad conſolandum majoris ingenii, & ad ferendum ſingularis virtutis indigent... Tu velim tete, ut debes, & ſoles, tua virtute ſuſtentes.

Cum A. Cæcina utitur nova quadam conſolationis ratione, hoc modo. *Vereor, ne deſideres officium meum, quod tibi pro noſtra, & meritorum multorum, & ſtudiorum, & partium conjunctione, deeſſe non debet: ſed tamen vereor, ne litterarum a me officium requiras: quas tibi jam pridem, & ſæpe miſiſſem, niſi quotidie melius exſpectans, gratulationem, quam confirmationem animi tui complecti litteris maluiſſem. Nunc, ut ſpero, brevi gratulabimur. Itaque in aliud*

(*) Γλαῦκ εἰς Ἀθήνας.

aliud tempus id argumentum epistolæ differo. His autem litteris animum tuum, quem minime imbecillem esse, & audio, & spero, & si non sapientissimi, at amicissimi hominis auctoritate, confirmandum etiam, atque etiam puto. ep. VI. lib. VI.

Pertinent ad hoc caput responsiones ipsæ redditæ consolantibus amicis: quare unum vel alterum subjiciam exemplum. Ita Sulpitio respondet Tullius ep. VI. lib. IV. *Ego vero, Servi, vellem ut scribis, in meo gravissimo casu affuisses. Quantum enim præsens me adjuvare potueris, & consolando, & prope æque dolendo, facile ex eo intelligo, quod litteris lectis aliquantum acquievi. Nam & ea scripsisti, quæ levare luctum possent, & in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti... Me autem non oratio tua solum, & societas pene ægritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. Turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu tali sapientia præditus ferendum putas. Sed opprimor interdum, & vix resisto dolori; quod ea me solatia deficiunt, quæ ceteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt.* Altera est hujus generis XIII. lib. V.

Quamquam ipsa consolatio litterarum tuarum mihi gratissima est: declarat enim summam benevolentiam conjunctam pari prudentia: tamen illum fructum ex iis litteris vel maximum cœpi, quod te præclare res humanas contemnentem, & optime contra fortunam paratum, armatumque cognovi. Quam quidem laudem sapientiæ statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus

ſecus aut bene, aut male vivendi ſuſpenſas habere rationes. Quæ cogitatio, quum mihi non omnino excidiſſet (etenim penitus inſederat) vi tamen tempeſtatum, & concurſu calamitatum erat aliquantum labefactata, atque convulſa: cui te opitulari video . . . multumque profeciſſe ſentio. Itaque tibi hoc ſæpe dicendum, tibique non ſignificandum ſolum, ſed etiam declarandum arbitror, nihil mihi eſſe potuiſſe tuis litteris gratius. Ad conſolandum autem, quum illa valent, quæ eleganter, copioſeque collegiſti, tum nihil plus, quam quod firmitudinem, gravitatemque animi tui perſpexi; quam non imitari turpiſſimum exiſtimo.

XIII. *De gratiarum actionibus.*

IN gratiarum actione tum beneficii commemoratio, tum grati animi ſignificatio potiſſimum quæritur. Nos breviter expediemus caput hujuſmodi, inſigniores dicendi modos colligendo. Sic Plancus Ciceroni ep. XI. lib. X.

Immortales ago tibi gratias, agamque, dum vivam: nam relataram me, affirmare non poſſum. Tantis enim tuis officiis non videor mihi reſpondere poſſe: niſi forte (ut tu graviſſime, diſertiſſimeque ſcripſiſti) ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, quum memoriam tenebo. Si de filii tui dignitate eſſet actum, amabilius certe nihil facere potuiſſes - Sequitur beneficii amplificatio: deinde *Quod reliquum eſt, tuum munus tuere: & me, ſi, quem eſſe voluiſti, eum exitu rebuſque cognoſcis, defende, ac ſuſcipe*. Idem Plancus ep. XXIV.

Facere non possum, quin in singulas res, meritaque tua tibi gratias agam. Sed mehercule facio cum pudore. Neque enim tanta necessitudo, quantam tu mihi tecum esse voluisti, desiderare videtur gratiarum actionem. Neque ego lubenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungar orationis; & malo praesens observantia, indulgentia, assiduitate, memorem me tibi probare. Quod si mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates in tua observantia, indulgentia, assiduitate vincam.

C. Marcello Consuli designato ita gratias agit Cicero de supplicatione decreta ep. XI. lib. XV. *Quantae curae tibi meus honos fuerit, & quam idem extiteris consul in me ornando, & amplificando, qui fueras semper cum parentibus tuis, & cum tota domo, & si res ipsa loquebatur, cognovi tamen ex meorum omnium litteris. Itaque nihil est tantum, quod ego non tua caussa debeam, facturusque sim, quum studiose, tum libenter. Nam magni interest, cui debeas. debere autem nemini malui, quam tibi: cui me quum studia communia, beneficia paterna, tuaque jam ante conjunxerant: tum accedit, mea quidem sententia, maximum vinculum, quod ita remp. geris, atque gessisti, qua mihi carius nihil est, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantumdem ego unus debeam, non recusem. Quamobrem tibi velim ii sint exitus, quos mereris, & quos fore confido.* Se victum officio fatetur ab Appio Pulchro epistola XIII. lib. III.

Quasi divinarem tali in officio fore mihi aliquan-

quando expetendum ſtudium tuum: ſic quum de tuis rebus geſtis agebatur, inſerviebam honori tuo. Dicam tamen vere, plus quam acceperas, reddidiſti ... Hæc mihi ampliora multo ſunt, quam illa ipſa, propter quæ hæc laborantur. Inſignia enim virtutis multi, etiam ſine virtute, aſſecuti ſunt: talium virorum tanta ſtudia aſſequi ſola virtus poteſt. Itaque mihi propono fructum amicitiæ noſtræ, ipſam amicitiam: qua nihil eſt uberius, præſertim in iis ſtudiis, quibus uterque noſtrum devinctus eſt.

Gratiarum actionibus ſunt illa ſatis accommodata: *Quibus verbis gratias agam non reperio. -- Lucius Lucceius homo omnium gratiſſimus mirificas tibi apud me gratias egit, quum diceret. -- Nero meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorſus incredibiles, ut nullum honorem ſibi haberi potuiſſe diceret, qui a te prætermiſſus eſſet -- Jam non ago tibi gratias: cui enim re vix referre poſſum, huic verbis non patitur res ſatisfieri -- Noli expectare, dum tibi gratias agam.* Ita vero Planco gratias agenti reſpondet Cicero ep. XIX. lib. X. *Quamquam gratiarum actionem a te non deſiderabam, quum te re ipſa, atque animo ſcirem eſſe gratiſſimum: tamen (fatendum eſt enim) fuit ea mihi perjucunda. Sic enim vidi, quaſi ea, quæ oculis cernuntur, me a te amari. Dices, quid antea? ſemper quidem; ſed numquam illuſtrius.*

XIV. *De litteris commendatitiis.*

NOn poſſum expeditius harum epiſtolarum attingere præcipua capita, quam breve Ci-

Ciceronis epistolæ subjiciens exemplum, scilicet XIV. lib. II. *Marco Fabio, viro optimo, & homine doctissimo, familiarissime utor, mirificeq. eum diligo, quum propter summum ingenium ejus, summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam. Ejus negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea... Omnia relinques, si me amabis, quum tua opera Fabius uti volet.* Explicata amicorum caussa, sic eos Dolabellæ commendat epis. XIII. lib. IX.

Quapropter, & si sæpe expertus sum, quantum me amares: tamen sic velim tibi persuadeas, id me in hac re maxime judicaturum. Peto igitur a te, vel, si pateris, oro, ut homines miseros, & fortuna, quam vitare nemo potest, magis quam culpa, calamitosos, conserves incolumes... Quod dicturus sum, puto equidem non valde ad rem pertinere, sed tamen nihil obest dicere; res familiaris alteri eorum valde exigua est, alteri vix equestris. Vide nunc singulare, & elegans in commendatione artificium. Sic scribit ad Brutum Cicero. ep. XVI. lib. XI.

Permagni interest, quo tibi hæc tempore epistola reddita sit; utrum quum sollicitudinis aliquid haberes, an quum domi ab omni molestia vacuus esses. Itaque ei præcepi, quem ad te misi, ut tempus observaret epistolæ tibi reddendæ. Nam quemadmodum coram, qui ad nos intempestive adeunt, molesti sæpe sunt: sic epistolæ offendunt, non loco redditæ. Si autem, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit, & ille, cui mandavi, satis scite, & commode tempus ad te cœpit adeundi; confido, me, quod velim,

lim, facile a te impetraturum. L. Lamia præturam petit. hoc ego utor uno omnium plurimum. Magna vetustas, magna consuetudo intercedit: quodque plurimum valet, nihil mihi ejus est familiaritate jucundius. Magno præterea beneficio ejus, magnoque merito sum obligatus.... Quapropter persuade tibi, mi Brute, me petere præturam.... Ponam in extremo, quod sentio. Nihil est, Brute, quum omnia a te exspectem, quod mihi gratius facere possis.

Fere autem variantur hæ litteræ pro varietate meritorum ejus quem commendamus, pro varia item necessitudine, quæ nos inter & eos ad quos, & de quibus scribimus, intercedit. ac pro variis amicorum temporibus; ad Cornificium de Anicio ita Cicero. *Eum velim rebus omnibus adjuves, operamque des, ut quam commodissime sua negotia conficiat. in primisque, quod ei carissimum est, dignitatem ejus tibi commendo... Hoc igitur, mi Cornifici, facies, ceterisque rebus omnibus ejus dignitati, reique, si me amas, consules.* ep. XXI. lib. XII., & ad eumdem de Sex. Aufidio ep. XXVII. *Est autem ita temperatis, moderatisque moribus, ut summa severitas summa cum humanitate jungatur. Cujus negotia, quæ sunt in Africa, ita commendo, ut majore studio, magisque ex animo commendare non possim. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat meas apud te litteras maximum pondus habuisse.* De Lamia sic agit apud hunc Cornificium ep. XXIX. *Non puto, te jam exspectare, quibus eum tibi verbis commendem. caussas enim tanti amoris intelligis: quæ verba desideret, iis me omnibus usum putato.*

tato. Tantum velim existimes, si negotia Lamiæ, procuratores, libertos, familiam, quibuscunque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quam si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarem meam.

Quid ego plura congeram? Totum fere librum XIII. ad Familiares invenietis epistolis constare hujus argumenti. E quibus vix quidquam jam allatis adjungere satis erit, & supra. Post commendata Gallo L. Egnatii negotia ita concludit brevem epistolam XLIV. *Tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritasque, ut si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat, me a te tantum amari, quantum ipse existimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, vehementer te rogo.* -- Ep. seq. *Quamobrem etiam, atque etiam a te peto, ut cures, ut intelligat, me ad te satis diligenter scripsisse: nam de tua erga me voluntate non dubitabat.* & clauditur epistola fere consueta formula. *Id ut facias, te etiam, atque etiam rogo.* Est venustissima XLVII. *Quid ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? Sed tamen, ut scires, eum a me non diligi solum, verum etiam amari, ob eam rem tibi hæc scribo. Omnium tuorum officiorum, quæ & multa, & magna sunt, mihi gratissimum fuerit, si ita tractaris Egnatium, ut sentiat, & se a me, & te a me amari. Hoc te vehementer etiam, atque etiam rogo.*

XV. *De Hortationibus.*

INitia quidem hujus argumenti pulcherrima sunt ad M. Marcellum ep. VII., & VIII.

lib. IV. *Etsi eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab ea ipse dissentiam, sed quod ea te sapientia esse judicem, ut meum consilium non anteponam tuo: tamen & amicitiae nostrae vetustas, & tua summa erga me benevolentia, quae mihi jam a pueritia tua cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te, quae & saluti tuae conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem a dignitate.* Altera sic incipit.

Neque monere te audeo, praestanti prudentia virum; nec confirmare maximi animi hominem, unumque fortissimum: consolari vero nullo modo. Nam si ea, quae acciderunt, ita fers, ut audio, gratulari magis virtuti debeo, quam consolari dolorem tuum. Sin te tanta mala reip. frangunt; non ita abundo ingenio, ut te consoler, quum ipse me non possim . . . . Illud tamen vel tu me monuisse, vel censuisse puta, vel propter benevolentiam tacere non potuisse: ut . . . . Cetera ita sunt temporum illorum in utraque epistola, & aliis ad Marcellum, ut in usum nostrarum litterarum venire vix possint. Idem vero sic absolvit epistolam IV. lib. II.

Quamobrem quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar ea clausula, qua soleo, teque ad studium summae laudis cohortabor. Est enim tibi gravis adversaria constituta, & parata, incredibilis quaedam exspectatio; quam tu una re facillime vinces, si hoc statueris, quarum laudum gloriam adamaris; quibus artibus eae laudes comparantur, in iis esse laborandum. In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confiderem: & hoc quidquid attigi, non feci inflammandi tui caussa, sed testificandi amoris mei.

Hor-

Hortationem simul habent, & consolationem, quæ Ciceroni scribit Lucceius ep. XIV. lib. V. Aliam jam partem exposuerat, hinc sequitur.

Sin autem, sicut hic dum eras, lacrymis, ac tristitiæ te tradidisti, doleo, quia doles, & angere: non possum te non, si concedis, quod sentimus, ut liberius dicamus, accusare. Quid enim? tu solus aperta non videbis, qui propter acumen occultissima perspicis? tu non intelliges, te querelis quotidianis nihil proficere? non intelliges duplicari sollicitudines, quas elevare tua te prudentia postulat? Quod si non possumus aliquid proficere suadendo, gratia contendimus, & rogando, si quid nostra caussa vis, ut istis te molestiis laxes, & ad convictum nostrum redeas, & ad consuetudinem, vel nostram communem, vel tuam solius, ac proprium. Ad Trebatium ita Cicero post multa ep. XVII. lib. VII.

Hunc tu virum nactus, si me aut sapere aliquid, aut velle tua caussa putas, ne dimiseris: & si qua te forte res aliquando offenderit, quum ille aut occupatione, aut difficultate tardior tibi erit visus, perferto, & ultima exspectato, quæ ego tibi & jucunda, & honesta præstabo. Pluribus te hortari non debeo; tantum moneo, neque amicitiæ confirmandæ clarissimi, ac liberalissimi viri, neque uberioris provinciæ, neque ætatis magis idoneum tempus, si hoc amiseris, te esse ullum umquam reperturum. In pulcherrima, & elegantissima ad Dolabellam epistola, quæ est XIV. lib. IX., scribit:

Quare quid est, quod ego te hortor, ut dignitati, & gloriæ servias? Proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur? Neminem habeo clariorem, quam te ipsum. Te imitere oportet; tecum ipse certes: ne licet quidem tibi jam tantis re-

rebus gestis non tui similem esse. Quod quum ita sit, hortatio non est necessaria; gratulatione magis utendum est.

Plancum incredibili gravitate simul, & urbanitate sic hortatur ep. v. lib. X. *Itaque te non hortor solum, mi Plance, sed plane etiam oro (quod feci iis litteris, quibus tu humanissime respondisti) ut tota mente, omnique animi impetu in remp. incumbas. Nihil est, quod tibi majori fructui, gloriæque esse possit: nec quidquam ex omnibus rebus humanis est præclarius, aut præstantius, quam de rep. bene mereri. -- adhuc enim patitur tua summa humanitas, & sapientia, me, quod sentiam, libere dicere. Fortuna suffragante videris res maximas consecutus, quod quamquam sine virtute non potuisses, tamen ex maxima parte ea, quæ es adeptus, fortunæ, temporibusque tribuuntur. His temporibus difficillimis reipublicæ quidquid subveneris, id erit totum, & proprium tuum... Sic moneo, ut filium; sic faveo, ut mihi; sic hortor, ut & pro patria, & amicissimum.*

Hortationis sunt illi peculiares modi: *Quare perge, ut cœpisti: forti animo istam tolera militiam: Multa, mihi crede, assequere.* ep. XVIII. lib. VII. Fam. *Quod superest, perge, mi Brute, & jam non cum aliis, sed tecum ipse certa.* XV. lib. X. Et ea ratione. *Urbem, urbem, mi Rufe, cole, & in ista luce vive. Omnis peregrinatio (quod ego ab adolescentia judicavi) obscura, & sordida iis, quorum industria Romæ potest illustris esse.* ep. XII. l. II.

Prope ludens ex fabulis venustissimam hortandi rationem in epistola jam commemorata ad Dolabellam inducit Cicero. Exponit pervaga-

tum

tum rumorem, quo non obscure significabant optimi viri, quæ gesserat Dolabella, consilio Ciceronis gessisse; atque ita pergit. *Negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis, & consiliis obtemperans, præstantissimum te civem, & singularem consulem præbeas. Quibus ego., quamquam verissime possum respondere, te, quæ facias, tuo judicio, & tua sponte facere, nec cujusquam egere consilio; tamen, neque plane assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis meis consiliis profecta videatur; neque valde nego. Sum enim avidior etiam, quam satis est, gloriæ. Est tamen non alienum a dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni regum regi fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiundis Nestorem: mihi vero gloriosum, te juvenem consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinæ meæ... Quamquam, mi Dolabella (hæc enim jocatus sum) libentius omnes meas, si modo sunt aliquæ meæ laudes, ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis*. Quid hisce jocis mirabilius?

XVI. *De jocosis epistolis*.

EPistolarum hic attingimus elegantissima ornamenta: sed quæ suis locis apte collocata mirifice delectant, quæque a natura ipsa dictata, & fusa videntur pulcherrima; diligentius vero tractata, & studiosius quæsita evadunt statim vel frigida, vel inepta, vel certe putidiora. Non omnes vacat Tullii lusus in hoc genere indicare. Nam & prope infinitum esset; quum unus omnium urbanissimus Cicero, & maxime festivus, & facetus in epistolis fuerit: & mi-

minus opportunum haberetur; quum plurimos e re natos, & ex rebus ipsis tum quidem notissimis, at nobis minime compertis, jocos, lususque vix intelligere, ac degustare possimus. Quare faciliores aliquot referre satis erit.

Ad L. Valerium scribit epistolam x. lib. I. Erat is jurisconsultus, sed minime, ut possumus suspicari, præstantissimus. Ut autem jocetur vel ipsa inscriptione, sic habet: *L. Valerio Jurisconsulto*: tum incipit epistolam. *Cur enim tibi hoc non gratificer, nescio: præsertim quum his temporibus audacia pro sapientia liceat uti... Sed tu velim desinas jam nostris litteris uti, & nos aliquando revisas; & ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare. Quamquam qui istinc nunc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas, partim contumeliosum, quod male respondeas. Sed jam cupio tecum coram jocari. Quare fac, ut quamprimum venias: neque in Apuliam tuam accedas, ut possimus salvum venisse gaudere. Nam illo si veneris, tamquam Ulysses, cognosces tuorum neminem.*

Ludit cum Trebatio perfamiliari suo Tullius, tamquam cum homine vitæ potius amanti, quam prodigo; atque in Castris latere potius, quam cum hoste confligere cupienti. Alia præmiserat ludens, sequitur: *Valde metuo, ne frigeas in hibernis: quamobrem camino luculento utendum censeo. Idem & Mucio, & Manilio* (jurisconsultis, in quorum numero Trebatius habebatur) *placebat, præsertim, qui sagis non abundares: quamquam vos nunc istic satis calere* (metu belli Britannici) *audio. Quo quidem nuntio valde mehercule de te timueram. Sed tu in re militari multo es*

cau-

cautior, quam in advocationibus.... Sed jam satis jocati sumus.... Scire cupio, quid agas, quid exspectes. quam longum istum tuum discessum a nobis futurum putes. Sic enim tibi persuadeas velim, unum mihi esse solatium, quare facilius possim pati, te esse sine nobis, si tibi esse id emolumento sciam; sin autem id non est, nihil duobus nobis est stultius; me, qui te non Romam attraham; te, qui non huc advoles. Una mehercule nostra, vel severa, vel jocosa congressio pluris erit, quam non modo hostes, sed etiam fratres nostri Hadui. Quare omnibus de rebus fac, ut quamprimum sciam.,, Aut consolando, aut consilio, aut re juvero. Ex Terent. Heautont. ad eumdêm ep. XIII.

. *Adeone me injustum esse existimasti, ut tibi irascerer, quod parum mihi constans, & nimium cupidus decedendi viderere, ob eamque caussam me arbitrarere litteras ad te jam diu non misisse?... Audi, Testa mi; utrum superbiorem te pecunia facit, aut quod te Imperator consulit? Moriar ni, quæ tua gloria est, puto te malle a Cæsare consuli, quam inaurari. Si vero utrumque est, quis te ferret præter me, qui omnia ferre possum?* Abstrusiores deinde lusus admiscet de jurisprudentiæ, quam Trebatius colebat, institutis, & de Militiæ periculis, a quibus diligentissime cavebat.

Facete ad eumdem Trebatium ep. XIV: *Valde jam lautus es, qui gravere litteras ad me dare, homini præsertim* (Cyro, qui sine litteris a Trebatio venerat, salutemq. Trebatii verbis Ciceroni nunciaverat) *prope domestico. Quod si scribere oblitus es, minus multi, jam te advocato, caussa cadent: sin nostri oblitus es, dabo operam, ut*

istuc veniam, antequam plane ex animo tuo effluo; sin æstivorum timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britannia. id est. Si timor angit prœlii, occasionem quære non proficiscendi, ut fecisti in expeditione Britannica. Concludit. *Sed hæc jocati sumus, & tuo more, & nonnihil etiam nostro. Te valde amamus, nosq. a te amari tum volumus, tum etiam confidimus.*

Ad Cornificium lepida, & urbanissima est epistola xx. lib. XII. *Gratæ mihi tuæ litteræ; nisi quod Sinuessanum diversoriolum contempsisti. Quam quidem contumeliam villa pusilla iniquo animo feret, nisi in Cumano, & Pompejano reddideris* (*) omnia de omnibus. *Sic igitur facies, meque amabis, & scripto aliquo lacesses. Ego enim respondere facilius possum, quam provocare. Quod si, ut es, cessabis, lacessam, nec tua ignavia etiam inertiam afferet. Plura otiosus: hæc, quum essem in senatu, exaravi.* Ad Cassium tota est faceta ep. xvi. lib. XV. quamquam revocat se aliquando, & digna viro sapiente, & fortissimo admiscet. Initium sufficiat: cetera tum Græca, tum recondita eruditione adspersa.

Puto te jam suppudere, quum hæc te tertia jam epistola ante oppressit, quam tu scbeedulam, aut litteram. Sed non urgeo: longiores enim exspectabo, vel potius exigam. Ego si semper haberem, cui darem, vel ternas in hora darem. Fit enim nescio quid, ut quasi coram adesse videare, quum scribo aliquid ad te....

Non possum hic reticere, quod non minus ad hoc genus pertinet, quam ad cetera; sed diligen-

(*) Πάντα περὶ πάντων.

gentius est hic perpendendum; quod deceat nimirum. Nam quis ferat vel adolescentem cum sene per epistolas inepte jocari, vel quemlibet cum eo, qui dignitate, gravitate, auctoritate excellat? Urbanæ quidem, & festivæ sint litteræ omnes oportet: sed jocari, & ludere nec decet, nec licet nisi cum iis, qui nobis multa familiaritate, & necessitudine conjuncti sunt. Imo neque cum istis semper, sed tempore, & loco. Unde ipse Cicero ad Dolabellam, postquam festive cum ipso jocatus est, ita scribit. *Sed quid ago? quum mihi sit incertum, tranquillone sis animo, an ut in bello, in aliqua majuscula cura, negotiove versere, labor longius. Quum igitur mihi erit exploratum, te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus*. Hæc semel in hoc tractatu monuisse satis erit, ut quisque, dum scribit, attente consideret, ad quem, & qua de re, & quo tempore, & loco litteras mittat, unde semper habeat propositum, quid deceat, neque ex decoro umquam discedat.

XVII. *De officiosis epistolis*.

QUin ad alia epistolarum genera descendamus, quæ poscunt diligentius elaboratum artificium ex intima dicendi arte profectum, uti sunt, quæ vel accusationem continent, vel purgationem; quæque latius patent, quam possint uno capite concludi, ut narrationes, & responsiones omnis generis; lubet, plura, quæ sunt magis frequentia in epistolis, & ferme sunt insigniores amicitiæ notæ, & animi familiaritate devincti officia repræsentant, conge-

gerere, nec quidquam præterea adjungere. *Ego quanti te faciam, semperque fecerim, quanti me a te fieri intellexerim, sum mihi ipse testis. -- Idque tu ad tuos velim scribas: hæc quidem certe, quæ in potestate mea sunt, ut operam, consilium, rem, fidem meam, sibi ad omnes res parata putent.* ep. x. lib. VI. *Nunc quoniam & tu ita sentis (scribis enim, quæ de nostris officiis ego ad te scripserim; & si ea jucunda fuerunt, tamen, quoniam ex alto repetita sunt; non necessaria te putasse) & revera confirmata amicitia, & perspecta fide, commemoratio officiorum supervacanea est; eam partem orationis prætermittam.* ep. v. lib. III.

Quamquam me nomine negligentiæ suspectum tibi esse doleo: tamen, non tam mihi molestum fuit, accusari abs te officium meum, quam jucundum requiri: præsertim, quum in quo accusabar, culpa vacarem: in quo autem desiderare te significabas meas litteras, præ te ferres perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem, & optatum amorem tuum. Equidem neminem prætermisi, quem quidem ad te perventurum putarem, cui litteras non dederim. Etenim quis est tam in scribendo impiger, quam ego? a te vero bis, terve ad summum, & eas perbreves accepi. Quare si iniquus es in me judex, condemnabo eodem ego te crimine: sin me id facere noles; te mihi æquum præbere debebis. Sed de litteris hactenus: non enim vereor, ne non scribendo te expleam, præsertim si in eo genere studium meum non aspernabere. Ego te abfuisse tam diu a nobis, & doleo, quod carui fructu jucundissimæ consuetudinis tuæ; & lætor, quod absens omnia

nia cum maxima dignitate es consecutus, quodque; in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna respondit. Breve est, quod me tibi præcipere meus incredibilis in te amor cogit. Tanta est exspectatio vel animi, vel ingenii tui, ut ego te obsecrare, obtestarique non dubitem; sic ad nos confirmatus revertare, ut, quam exspectationem, tui concitasti, hanc sustinere, ac tueri possis. Quodnam genus humanissimi officii, ac suavissimæ urbanitatis huic deest ad Curionem epistolæ I. lib. II.?

In XIV. lib. IX. ad Dolabellam, quam sunt illa dulcissimæ caritatis plena? *Nam quum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti: tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil umquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi, ut scis, M. Brutum, propter ejus summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem, atque constantiam: tamen Idibus Martii tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum esse videbatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? Tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.*

Sequitur illa ad Pætum, in qua sunt amoris notæ ita expressæ, ut mentiri vix animus posse videatur. *Ex prioribus tuis litteris intellexi, pergratam tibi esse curam meam valetudinis tuæ, quam tibi perspectam esse gaudeo. Sed, mihi crede; non perinde, ut est reapse, ex litteris perspicere potuisti. Nam quum a satis multis (non*

enim

enim possum aliter dicere) & coli me videam, & diligi, nemo est illorum omnium mihi te jucundior. Nam quod me amas, quod id & jampridem, & constanter facis, est id quidem magnum, atque haud scis, an maximum, sed tibi commune cum multis: quod tu ipse tam amandus es, tamque dulcis, tamque in omni genere jucundus, id est proprie tuum.

Ad Trebatium ita scribit initio ep. xv. lib. VII. *Quam sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest. moleste ferebam antea, te invitum istic esse: pungit me rursus, quod scribis esse te istic libenter. neque enim mea commendatione te non delectari facile patiebar: & nunc angor, quidquam tibi sine me esse jucundum. Sed hoc tamen malo ferre nos desiderium, quam te non ea, quæ spero, consequi.* Epistolam II lib. VI. c orditur ad Torquatum.

Peto a te, ne me putes oblivione tui rarius ad te scribere, quam solebam, sed aut gravitate valetudinis, qua tamen jam paullum videor levari; aut quod absim ab urbe, ut, qui ad te proficiscantur, scire non possim. Quare velim ita statutum habeas, me tui memoriam cum summa benevolentia tenere, tuasque omnes res, non minori mihi curæ, quam meas esse.

Sed ne primas videamur epistolas præterire. hæ quidem declarant, qua ratione erga illum præstare te debeas, a quo maxima beneficia receperis: Ita scribit ad P. Lentulum ep. IV. lib. I. *Ego neque de meo studio, neque de nonnullorum injuria scribendum mihi esse arbitror. Quid enim aut me ostentem? qui si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meri-*

torum

torum assecutus. aut de aliorum injuriis quærar? quod sine summo dolore facere non possum. Septimæ hoc est principium.

Legi tuas litteras, quibus ad me scribis, gratum tibi esse, quod crebro certior per me fias de omnibus rebus, & meam erga te benevolentiam facile perspicias: quorum alterum mihi, ut te plurimum diligam, facere necesse est; si volo is esse, quem tu me esse voluisti: alterum facio libenter; ut quoniam intervallo locorum, & temporum disiuncti sumus, per litteras tecum quam sæpissime colloquar. Omnem amoris, & necessitudinis significationem superare quidem videtur initium IX.

Perjucudæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quibus intellexi, te perspicere meam in te pietatem. quid enim dicam benevolentiam, quum illud ipsum gravissimum & sanctissimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis esse videatur? Quod autem tibi grata mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundantia quadam amoris, ut etiam grata sint ea, quæ prætermitti sine nefario scelere non possunt.

Antequam huic epistolarum generi finem faciam, planiora quædam profero ex ep. XXI. lib. XV. ad Trebonium. *Et epistolam tuam legi libenter, & librum libentissime: sed tamen in ea voluptate hunc accepi dolorem, quod quum incendisses cupiditatem meam consuetudinis augendæ nostræ, (nam ad amorem quidem nihil poterat accedere) tum discedis a nobis, meque tanto desiderio afficis, ut unam mihi consolationem relinquas fere, ut utriusque nostrum absentis desiderium crebris, & longis epistolis leniatur.*

Quod

Quod ego de me non modo tibi spondere possum, sed de te etiam mihi. Nullam enim apud me reliquisti dubitationem, quantum me amares .... Cui quidem ego amori (utinam ceteris rebus possem) amore certe respondebo, quo tamen ipso tibi confido futurum satis ... Reliquum est, ut tuam profectionem amore prosequar; reditum spe exspectem: absentem memoria colam; omne desiderium litteris mittendis, accipiendisque leniam. Tu velim tua in me studia, & officia multum tecum recordere; quæ quum tibi liceat, mihi nefas sit oblivisci; non modo virum bonum me existimabis, verum etiam te a me amari plurimum judicabis.

Quo hæc respiciant exempla & jam declaravi, & vos, si attente ea legistis, ac meditati estis non sine aliquo fructu, uti spero, intellexeritis. Video ad officiosas epistolas referri omnes jam supra commemoratas: sed vos etiam videbitis, ita hæc litterarum propria esse, ut ceteris etiam jam descriptis generibus conveniant. Verum quid plura? Si illud hisce exemplis assecuti sumus, ut studio Ciceronis legendi, & imitandi auditores nostros incederimus; nihil est, quod optemus præterea.

XVIII. *De notis numerorum apud Latinos usitatis: ac de ratione dies numerandi.*

AD Grammaticos potius rejicienda esset hæc tota tractatio: sed quum ad epistolas præsertim usus pertineat; quod jam polliciti sumus, præstabimus, sed brevissime. Primum itaque barbarum fugite morem numeros adscribendi

di vulgari ratione, sive *Arabica*, ut inquiunt, aut *Arithmetica*; quum Latine scribitis. Quin autem plura hic quæramus, notas singulas subjiciemus Romanas, adjecta significatione, ac primum præcipuas.

I. unus. V. quinque. X. decem. L. quinquaginta. C. centum IↃ. vel IↃ. vel D. quingenti. CIↃ. vel CIↃ. vel M. vel ∞. mille IↃↃ. quinque millia. CCIↃↃ. decem millia IↃↃↃ. quinquaginta millia CCCIↃↃↃ. centum millia. IↃↃↃↃ. quingenta millia CCCCIↃↃↃↃ. decies centena millia. Ab uno autem ad decem. ita excurrebant: I. II. III. IIII. vel IV. V. VI. VII. VIII. vel IIX. IX. vel VIIII. X. A X. ad L. sic X. XX. XXX. XL. L. A XL. ad L. ita fere XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLXIII. XLIX. L. hinc ad C. hac ratione L. L. LX. LXX. LXXX. XC. C. cetera jam facile ex his poteris cognoscere. Ad octingentos autem vel nongentos exprimendos anteponitur nota vel simplex vel repetita, quæ centum significat, notæ exprimenti mille, ut CM. vel CCM.

Mensem in Kalendas, Nonas, Idus dividebant. In primam diem mensis Kalendæ incidebant, in quinctam Nonæ, in decimam tertiam Idus. excipe Martium, Majum, Julium, Octobrem, quibus transferuntur Nonæ ad diem septimam, Idus ad quintamdecimam. Dies itaque, in quas incurrunt Kalendæ, Nonæ, Idus, ex iis denominantur sexto casu sic, Kalendis Januarii designatur prima ejus mensis dies. Nonis Februarii significatur dies quincta. Idibus Martii indicatur decima quincta; quum sit de exceptis.

Dies

Dies interjecti a ſequenti diviſione numerantur. Itaque poſt primam diem menſis, incipies a nonis denominare; poſt nonas ab Idibus ſupputabis; poſt Idus a Kalendis inſequentis menſis. Dies, qui præcedit five Nonas, five Idus, five Kalendas dicitur pridie Nonas, Idus, Kalendas. ceteros ut deſcribas, diem tibi propone quem velis indicare, puta tertium Januarii: enumera ab hoc die ad Nonas; ita vero, ut tertium etiam, & quinctum complectaris, invenies quatuor: die IV. Nonas Januarii. Sic de Idibus loquere. Danda ſit epiſtola die vel VI. Februarii, vel VIII. Martii: a ſexta Februarii die ad XIII. in quam incidunt Idus interfluunt, enumeratis etiam VI. & XIII., dies VII. dic ergo VII. ſcilicet ſeptimo Idus Februarii. Similiter ab VIII. die Martii, ad XV., in quam incidunt Idus excepti hujus menſis, octo numerantur, dic igitur VIII. id. eſt octavo Idus Martii. Superſunt Kalendæ, ſed eadem iſtarum ratio. Nam poſt Idus cujuslibet menſis, a Kalendis inſequentis denominationem ſumunt dies. Scribenda ſit epiſtola die XIV. Januarii. a XIV. ad I. Februarii XIX. invenies, ſupputatis de more & die. quo ſcribis, & Kalendis, dices ergo XIX. Kal. Februarii. Ita vero progredieris, ut in tertio, five Nonas, five Idus, five Kalendas conſiſtas; nam qui ſequitur, uti dictum eſt non ſecundo dicitur, ſed pridie.

Hæc ut habeas expeditiora, memoriæ mandabis præcipuas numerandi rationes, & qui ſint menſes excepti; & quot diebus conſtent menſes ſinguli. Erunt autem adjumento notiſſimi illi verſus.

Pri-

Primum quemque diem mensis dixere Kalendas:
Quintus dat Nonas, decimus dat tertius Idus.
Octobris vero, Maji, Mavortis, Juli
Septima lux Nonas, Idus quindena reportat.

Dierum vero numerum, quem habent menses singuli, ex his collige

Junius, Aprilis, September, tumque November
Ter denos numerant: reliquis superadditur unus.
Februus at brevior his denis constat, & octo.
His unus adjungit bissextus quilibet annus.

Unde comperies diebus triginta constare Aprilem, Junium, Septembrem, Novembrem; uno autem, & triginta Januarium, Martium, Majum, Julium, Augustum, Decembrem; Februarium vero ceteris breviorem dies octo, & viginti habere. Intercalari tamen anno, unum adjungi. Sed animadverte die XIV. Februarii semper dici XVI. Kalendas Martii; etsi anno intercalari dicendum potius videretur XVII., ut supputaretur dies adjectus. Verum loco ita enumerandi, quum ad diem vigesimam quartam ventum est, dicitur sexto Kalendas Martii, & repetitur idem die XXV. ex hoc autem quod bis dicitur sexto Kalendas, annus Bissextus nominatur.

Occurrunt nonnullæ rationes scribendi, sive diem adnotandi mensis, quæ tamen in idem recidunt. Itaque ea sæpe invenies ad quartum Nonas Januarii; ad VI. Idus, & similia: alias etiam a. d. XIII. Kal. Decembris, vel expresse ante diem XIII. Kal. Verum nihil afferunt discriminis; quum idem significent ac VI. Idus. XIII. Kalendas, ut differte probat Manutius in expla-

na-

natione ep. VIII. Llib. II. ad Atticum. Sæpe etiam animadvertes Kalendas, Idus, Nonas dici Januarias, Februarias, Martias, & sic de reliquis mensibus, quod æque Latinum est, ac Januarii, Februarii, & ceterorum: sicut etiam Quintiles, vel Sextiles pro Julias, vel Augustas, seu Julii, vel Augusti.

Ut vero facilius cognoscas, quo die sint datæ aliorum litteræ, quum deprehendis Latino more diem descriptum, hac utere ratione. Considera, quot dies inveniantur inter diem assignatum, & diem ex quo denominatur; tum adde duos, nempe diem descriptum, & eum, in quem incidunt sive Nonæ, sive Idus, sive Kalendæ; qui inde conflatur, est mensis dies. ex. ca. Occurrat in Scriptura XIV. Kal. Julii, a die XIV. Mensis Junii, de quo intelligitur ad I. Julii, sexdecim sunt intermedii, adde XIV., qui est descriptus, & primum Julii, reperies duodeviginti, dies igitur designatur decimus octavus mensis Junii. Ita sit IV. Non. Maji. a IV. ad VII., si septimum supputas, tres inveniuntur; adde IV., qui est indicatus; quatuor reperies, igitur die IV. Maji data est epistola.



Vi-